



- 1) De primariis precibus Imperialibus sine Pontificis indultu validis. R. Gribner.
- 2) De eo quod iustum in foro externo et interno. R. Brückner.
- 3) De dissensu sponsalitio. R. Strykio.
- 4) De Baptismo. R. Lyncker.
- 5) De eo, quod iustum est circa personas diversae Religionis. R. Lyncker.
- 6) De absolutione in foro poenitentiali et contentioso. R. Simone.
- 7) De luctu. R. Jacob.
- 8) De sacra Coena. R. Vorstig.
- 9) De Jure Visitationis Ecclesiasticae et Procuratoris. R. Zioler.
- 10) De eo, quod iustum est circa mortuos. R. Zioler.
- 11) De Sigillo Confessionis. R. Lvensstedt.
- 12) De Laici foro ecclesiastico. R. Bohn.
- 13) De Crimine Lenocinū. R. Gerhard.
- 14) Quaestio: Quis debet esse iudex controversiarum de fide et Religione. R. Veltthem.
- 15) De Delatoribus. R. Hartuno.
- 16) De Purgatione Canonica. R. Betsmann.
- 17) De Foro competente et subiectione Clericorū sub potestate civili. R. Thomasio.
- 18) De Fundamentorū definiendi causas matrimoniales hactenus receptorum insufficientia. R. Thomasio.
- 19) De iudicio seu censura morum. R. Thomasio.



20.) De officio Cancellari Principis circa augenda Salaria et honores  
Ministorum Ecclesiae. R. Thomasio.

21.) Problema juridicum, an Heresis sit Crimen? R. Thomasio.

22.) De Abusu poenitentiae Ecclesiasticae. R. Bode.

23.) Sacramentales. R. Simone.

24.) De Protectione ab Imperatore Ecclesiis utriusque Religionis in Germania  
aequaliter debita. R. Müdenzer.

25.) De natura Sponsaliorum et Divisione. R. Stryck.

26.) De Qualitate et jure Personarum Matrimonium contrahentium. R. Stryck.

27.) De Jure Sabbathi. R. Stryck. 27.<sup>a</sup> de Origine et Usu Juris  
Ecclesiastici. R. Eodem.

28.) De Incommodis Festorum. R. Stryck.

29.) De promotionibus per saltum. R. Schneider.

30.) De incompatibilitate Juriu dignatum & officiu beneficiorum,  
Raf. Bruckner. 30.<sup>a</sup> de Jure Decimarum

31.) De Divortis. R. Zech.

32.) De Canonatibus et Simonia. R. Redeker.

33.) De Durachi Conjugio. R. Delphin.

34.) Wahre Nothwendigkeit der Kirchen und Abendmahl  
Besens. aka Arnold.

35.) De expectativa in casum mortis concessa. R. Lei

dultu

kner

Lyncke

Simon

R. Ziole

e fide et

R. Thomasio

hacteng



18

19





~~Q. D. B. V.~~ #  
Q. D. B. V.

DISPUTATIO ACADEMICA 7

DE

LUCTU,

Quam

AUCTORITATE

Illustris Jctorum Ordinis in  
perinclutâ Salanâ

PRÆSIDE

JOHANNNE Jacobs/ J. U. D.

Curiã Prov. Sax. Advoc. Ordin.

*Dno. Patrono, & Praeceptore suo jugiter  
honorando*

Publicè ventilandam exponet

*h. lq. c.*

Ad d. IV. Augusti Anno M. DC. LXXX.

JOH. VVOLF GANG Ritter/

Ulmensis.

---

Litteris MÜLLERIANIS.

7



DEO  
&  
FAVITORIBUS.







I. N. D. N. J. C. A.



Nil in hâc mundi  
scenâ inconcusso stare  
fundamine, sed perpetuo  
quasi gaudere motu, sin-  
gula suis constare spatiis,  
& certis quasi includi ter-  
minis, præter quotidianam experientiam  
sacra & profana testatur pagina: imò qui-  
libet mortalium & hîc æternum illud: *su-*  
*um cuique;* vel invitus agnoscit. *Confir-<sup>Ecclesiast,</sup>*  
*mat hoc sapientissimus Regum, omnia cer-<sup>3.</sup>*  
tistemporum ponderibus pensans, lætitiâ  
& tristitiâ, hilaritatem & mœrorem seu  
luctum, suis quasi claudens carceribus & u-  
trique suum pondus ac mensuram tribuens.  
Postrupta enim illa integritatis primævæ  
claustra, caterva malorum genus huma-  
num invasit, ne dicam, obruit, ut loco inte-  
gri, fausti, læti, depravatum, infaustum, tri-  
ste & lugubre surrogatum appareat, appa-  
) ( 2' reat

U.S.





eat & existat omne, ni radius divinæ lucis  
& illius, à quo descivimus, summi boni in-  
dex nobis relictus, summo illo Statore ac  
Salvatore subnixus & erectus, benè nos spe-  
rare juberet, & bona lætaque post mala ac  
lugubria expectanda nobis promitteret.  
De utroq; igitur cogitandum esse, quæcun-  
que obtigerit fors, rectæ rationis ductus mo-  
nere videtur, ne in lætis exorbitem, in tristi-  
bus deficiamus. Respexerunt eò præter alios  
Ægyptii, in quorū conviviiis mortis simula-  
crum circumferri, & quemlibet inconstan-  
tiæ rerum, suæque fragilitatis admoneri mo-  
ris fuit; de quibus eruditè Lipsius. Moderatio  
itaque in omnibus optima, plurimùm va-  
lebit, ne scil. tempore calamitatis supra mo-  
dum nos cruciemus, nec tamen ferrei aut  
saxeï simus, ut ad nullum casum affectum  
prodamus, aut Stoico supercilio quælibet  
lugenda despiciamus. Prudenter hinc nullius  
nō ævi LLatores in circumscribendis luctûs  
terminis suum exercuisse officium, ut passim  
ex historiis, sic & ex Jure Civ. Rom. constat:  
cujus ductu aliqua de luctu delibare, animus  
est. Tu, B. L. fave.

*Saturnal.*  
*l. 1. c. 19. p. 71.*







Q. F. F. E. J. S. R. A.

## CAPUT PRIMUM.

Luētus unde dicatur. Varia  
ejus significatio. Aliis vocabulis  
effertur. Quæ hujus loci significatio.  
Ejus descriptio & brevis eno-  
datio.

### THESIS I.



Uemadmodum conchas ne-  
gligenti, margaritas colligendi : aut auri  
præstantiam cognoscendi, scorias non re-  
moventi, copia non datur : ita in rei na-  
turam & veritatem ante inquirere, quàm  
nomina benè cognita & discussa sint, haud  
commodè licebit. Sic enim sensisse Ve-  
teres Jctos observatur *in l. 1. pr. ff. de J. & J. l. 1. §. 1. ff. de Pa-  
stis. l. 1. ff. de R. C. l. 1. ff. de A. vel. A. P. l. 1. pr. ff. de Furt. l. 49. ff.  
de V. S.* Suffragantur recentiores, Magnif. D. Struv. *Synt. Jur.  
Feud. cap. 2. aph. 1. n. 3. ἐνθεσ.* Magnif. D. Lyncker. *Diß. de Be-  
neplac. sect. 1. §. 1.* D. Eyben. *Elect. Jur. Feud. cap. 2. coroll. Ta-  
bor. Elem. Jprud. part. 3. sect. 4. th. 2. ἐνθ.* Quos imitantes, nos  
vitio carere putamus, dum in *Luētus* vocabuli originem, Ho-  
monymiam, & Synonymiam, pro ratione nostri instituti, in-  
quirimus.

*Ex nomi-  
ne rei lux.*

A

Th. II.



*Vocis origo.*

Lu<sup>ctum</sup> autem à verbo *Lugere* suos repetere natales, nemo in controversiam vocabit. *Lugere* autem utrum  $\delta\pi\omicron$   $\tau\epsilon$   $\lambda\upsilon\gamma\epsilon\delta$ , h. e. tristi, miserabili, funesto: an  $\delta\pi\omicron$   $\tau\epsilon$   $\lambda\omicron\iota\gamma\delta$ , h. e. pernicie, exitio, morte: vel  $\omega\delta\alpha$   $\&$   $\lambda\upsilon\zeta\epsilon\upsilon$ , aut  $\lambda\upsilon\gamma\gamma\acute{\alpha}\nu\epsilon\upsilon$  singultire, ceu vult Cujac. l. 2. *Quæst. Papin. ad L. ult. de his qui not. inf. p. m. 31. B.* Vel  $\delta\pi\omicron$   $\tau\eta\varsigma$   $\lambda\upsilon\gamma\eta\varsigma$ , obscuritate, tenebris descendat, operosè investigare hoc loco velle, esset fallacem in Grammaticorum messem mittere. Adeundi hic Gerh. Joh. Vofs. in *Etymol. Linguae Lat. voc. Lu<sup>ctus</sup>*. Christ. Becm. de *Orig. Lingu. Lat. verb. Lugeo*.

Th. III.

*Homonymia.*

Sumitur autem Lu<sup>ctus</sup> (a) figuratè pro externo signo, quo animi dolor, seu mœror designatur, unde Squalorem & Lu<sup>ctum</sup> simul posuit Alexand. ab Alex. *Genial. Dier. lib. 3. cap. 7. fol. m. 121. A.* ibi: *Cimbri & Celtiberi si qui in acie mortem oppetunt, gaudio exsultant: si autem morbo affecti decedunt, in Squalore & Lu<sup>ctu</sup> sunt.* Ita & Cicero *Orat. pro Sext. c. 32.* Idem *Epist. ad Fam. l. 5. Ep. 1. & Orat. in L. Pison. c. 18.* *Quis hoc, inquit, fecit ulla in Scythia tyrannus, ut eos, quos lu<sup>ctu</sup> afficeret, lugere non sineret? mœrorem relinquis: mœroris aufers insignia.* (b) Deinde pro tempore, quo lu<sup>ctus</sup> durare solèbat, arg. l. 1. C. de *Sec. Nupt. l. 9. ff. de his qui not. inf.* Unde & elugere, qui tempus Lu<sup>ctûs</sup> compleverant, dicebantur. l. 11. §. 1. *& passim ff. d. t. Liv. l. 34. c. 7.* Sic prolugere dicebantur, qui solito diutius lu<sup>ctum</sup> producebant, Jac. Rævard. *Varior. lib. 1. c. 20. p. 530.* (c) Porrò pro pompâ, cantu, seu lamentatione funebri. Hinc Alex. ab Alex. d. l. fol. 129. A. *circa fin. Præficiasq;*, inquit, *quæ Lu<sup>ctui</sup> præessent.* Item paulò post: *Quas quidem neniae Græcis in lu<sup>ctu</sup> sæpius decantari invenimus.* (d) Denique pro dolore & aegritudine animi, quæ significatio hujus loci.

Th. IV.

*Lu<sup>ctus</sup> Synonyma.*

Hujus loco utuntur voce mœroris, (Lu<sup>ctum</sup> tamen & mœrorem gradu distinguere videtur Cic. *Tusc. quæst. lib. 4. c. 18.*) Curt. l. 3. c. 11. n. 25, l. 4. c. 10. n. 21. *& d. l. c. 15. n. 11.* Seneca *Con-*



*Consol. ad Helv. c. 16. ibi: Et ideò majores decem mensium. spaci-  
um lugentibus viros dederunt, ut cum pertinaciâ muliebris mœ-  
roris publicâ constitutione deciderent. Tacit. Annal. lib. 15. c. 23.  
n. 4. de Nerone ait: ut letitiae, ita mœroris immodicus egit.  
Ovid. i. Fast. pr. pro luctu videtur posuisse: tristia signa; scil.  
quibus demonstrabatur luctus. Sic enim ibi canit:*

*Per totidem menses à funere conjugis uxor,  
Sustinet in viduâ tristia signa domo.*

*Dolorem intestinum pro luctu usurpavit Alexand. ab Alex. Ge-  
nial. Dier. d. l. fol. 128. B. Tristitiam dixit Augustin. Serm. 32.  
ibi: Est de mortuis iis, qui diliguntur, tristitia quodammodo na-  
turalis. vid. El. Veiel. SS. Theol. D. ceber. & Superintend. ut &  
Director Gymnas. Ulm. gravis. Violet. David. Ps. 42. v. 5.  
p. 233. Dicitur & mœstitia c. habent. 27. XIII. 2. item Fletus,  
Planctus, à gestibus scil. lugentibus usitatis. Jerem. 22. v. 10.  
Unde deplorare, lamentari, pro lugere, c. ubicunq. 26. XIII. 2.  
item, ut vult Cujac. l. 2. Qu. Pap. ad l. ult. de his qui not. inf. p.  
29. E. funus, justa, supremum officium, vel supremæ exequie in-  
feriæ, solemnia mortis. Unde justa ferre & justa facere l. 2.  
ff. de in jus voc. l. 20. §. 1. de Acq. vel. Om. Hered. v. Cujac.  
d. l.*

#### Th. V.

Restat, videamus, quid sit Luctus, eo, quem diximus *Describi-*  
supra, significatu. Cicero *Tusc. quest. l. 4. c. 18. Luctus, in-* *tur luctus.*  
*quit, est agritudo ex ejus, qui carus fuit, interitu acerbo. Simi-*  
*le quid habet l. 1. Tusc. quest. c. 30. sic & Cujac. l. 14. Quest. Pa-*  
*pin. ad l. 34. ff. de Test. mil. p. 383. E. dicit: Luctus est dolor vel*  
*amissa uxoris, vel amissi viri. Quæ descriptiones, cum angu-*  
*stiores videantur, illis sepositis hanc nostro instituto magis*  
*accommodatam, surrogamus. Luctus est dolor animi,*  
*ratione moderatus ex morte hominis, aliâve calamitate*  
*ortus. Eodem fermè modo P. Martyr. comment. in 2. Sam. 3.*  
*fol. 199. B. describit, quando dicit: Luctus est mœror & squal-*  
*or, qui suscipitur non obscure, sed aperte & palam, propter cala-*



mitatem vel Reip. vel ejus qui privatim nobis carus erat: addit: mærorem referri ad animam, squalorem ad corpus. v. D. Geier tract. de Luct. Ebraor. cap. 7. §. 1. p. 187.

## Th. VI.

Descripti-  
onis brevis  
enodatio.

Diximus: esse dolorem animi; qui Ciceroni *Tusc. qu. l. 4. c. 18.* nomine ægritudinis venit. Solet hæc oriri ex malo præfenti, in quo demitti contrahique animo rectum esse videtur, teste eod. Cic. *d. l. c. 12.* seu ut vult Lud. Vives *l. 3. de Anim.* ex malo præfenti, vel de eo, quod jam habetur pro præfenti; quæ animi contractio seu demissio rectè videtur vocari dolor *l. ult. §. 5. ff. de bon. eor. qui ante sent.* uti & per dolorem, Luctum finire placuit Cujac. *d. l.* Addimus: animi; corporis cruciatum seu dolorem excludentes. Animi enim, non corporis affectum designamus, quod itidem quidem doloris, ut morbi, aut adversæ valetudinis capax, quamvis hæc non semper sit cum dolore, aut sensu doloris, teste Jcto Ulp. *in l. 6. §. 7. ff. de injust. rupt. irrit.* Cujac. *l. 14. Qu. Pap. ad l. 34. ff. de Test. mil. E.* maximè ex mente Stoicorum, dolorem ab adversa valetudine separantium, à quibus nostri quoque legum auctores magnam partem imbuti. vid. Magnif. D. Schilter *Phil. Jur. c. 1. §. 3. & seq. Rebhan Hodog. Jur. Chart. 3. clim. 2. p. m. 303.* D. Sam. Rachel *introd. in Arist. Phil. Moral. c. 6. p. m. 52. & 53.* Dolorem quidem Jcti nostri magis ad appetitum irascentem, quam concupiscentem referre videntur, quò pertinet, quod de justo dolore dicit Papinian. *in l. 38. §. 8. ad L. Jul. de Adult.* item Ulpian. *in l. 3. §. 3. ff. de Scto Syllan.* & de inconsulto dolore Imp. Alexand. *in l. 4. C. ad L. Jul. de Adult.* v. Magn. D. Schilt. *d. tr. c. 5. §. 38.* Ad concupiscentem tamen eum rectius videntur referre alii. vid. Hornej. *Phil. Mor. l. 2. c. 6. §. 11. circa fin.* Subjicimus: *ratione moderatus;* ut subjectum Luctus, uti à nobis is considerandus venit, & modum adumbremus. Affectuum enim sedes, uti est in animâ sentiente, sic & bruta horum capacia, quod quidem Stoici negant. v. Lips. *Manud. ad Phil. Stoic. l. 3. diss. 7.* Horn. *d. l. §. 5. & seq.* & sic suo modo etiam luctus; ast de horum dolore luctu-

ve



5  
ve nulla nobis disquisitio, sed solum hominem rationis capa-  
cem Luctus subjectum dicimus. Uti autem modus in re  
qualibet: sic & merito in luctu observandus, ne sanæ rationis  
usum negligentes, deteriores Ethnicis & Barbaris nos demon-  
stramus. - *Ex morte hominis, aliave calamitate*; quando lu-  
ctum oriri affirmamus, objectum ejus delineare nos patet;  
quod in genere malum ex Cicer. & Luc. Viv. supra vocatum.  
Fusius hæc persequi infra dabitur occasio.

## CAPUT SECUNDUM.

Origo luctus antiquissima. Gen-  
tium exemplis firmatur. An lugere  
justum sit.

### THESIS I.

**A**Ntequam ulterius provehamur, in originem Luctus pau-  
cis inquirere, ab ordine nostro non alienum ducimus.  
Quamvis autem hic ex mœrore & ægritudine animi ortus po-  
tissimum intrinsecus sit, adeoque antiquissimus & ipsi generi  
humano coævus: extrinsecè tamen illum testari Gentibus  
moratoribus usurpatum videmus. Decorum enim & hone-  
stum semper habitum, non tantum mortuos, sed & publicas,  
imò & privatas calamitates lugere & in Heracliti consortium  
interdum descendere.

### Th. II.

Liceat hîc nobis ire per aliquot Gentium (quibus ta-  
men ipsis luctus antiquior) exempla, inter quas antiquissima  
forfan & moratissima nobis obvenit gens Ebræorum. Hæc  
Luctum ob mortuos nobis commendat scriptis & exemplis.  
Scriptis, Deut. c. 21. v. 13. ubi jubetur mulier capta gentilis,  
nuptui tradenda Viro Israëlitico, plangere parentes per inte-  
grum

*Luctus  
origo anti-  
quissima.*

*Exemplis  
Gentium  
probatum.  
Ebræorum.*



grum mensem. Item Syrac. c. 7. v. 36. & 37. cum plorantibus plorandum, cum lugentibus lugendum monet; quod ceu Christianum inculcat Gentium Doctor Paulus ad Rom. 12. v. 15. imò Syrac. c. 38. v. 16. ita inquit: *Fili in mortem produc lacrymas, & quasi dira passus, incipe plorare; v. 17. amare fer luctum ejus. & v. 18. & fac luctum secundum meritum ejus uno die, vel duobus.* jung. Idem c. 22. v. 10. & dum ante laud. Apost. Paulus modum luctui ponit 1. ad Thessal. 4. v. 13. lugendum esse utique videtur si non injungere, tamen concedere: nec enim modus sine re ipsa esse potest. Exempla apud Ebræos fletus, planctus, jejunii, scissionis vestium, insperisionis cineris & pulveris, rasionis capillorum & barbæ, aliorumque luctus indiciorum extrinsecus adhibitorum, tot produci nullo negotio possent, ut citius nos dies, quam materia defectura sit. Sic pater credentium Abraham luxit Saram uxorem Gen. 23. v. 2. David Saulum, & Jonathanem filium ejus in monte Gilboa casos, 2. Sam. 1. Idem mortem Abneris, 2. Sam. 3. Idem morbum filii ex adulterio nati, mortem prædicente Propheta Nathan, 2. Sam. 12. deflevit. Tacemus Jacobum, vestium laceratione, indutum cilicio, suum unice adamatam Josephum amare lugentem Gen. 37. v. 34. Ezechiam 2. Reg. 20. Jobum c. 30. v. 31. Jeremiam Jer. c. 9. v. 1. imò ipsum Salvatorem mortem Lazari resuscitandi. Joh. 11. v. 35. & ruinam futuram urbis Hierosolymarum deflentem, Lucæ c. 19. v. 41. Integer populus mortem Aaronis, Num. 20. v. 29. Moysis, Deut. c. 34. v. 8. Samuelis, 1. Sam. 18. v. 3. excisionem tribus Benjamin. Judic. c. 21. v. 2. seqq. imò peccata sua quoties luxit & deflevit? Plura adducere hic lubentes supersedemus: siquidem apud Israëlites posteros luctum penè pro parte sacri cultus habitum ex Schickardo notavit Quenstedt. de Sepult. Vet. c. 13. p. 323. & D. Geier de Luctu Ebr. c. 1. §. 1. & 2. ubi ex Majmonide dicit: *Præceptum affirmativum est, lugere ob propinquos.*

Th. III.

*Ægyptio.  
ram.*

Nec Ægyptiis lugendi mos incognitus: planxisse enim & acerbo fletu flevisse Patriarcham Jacobum, ut & locus exinde



inde nomen sortitus sit, videre est. Gen. 50. v. 10. vid. Alex.  
ab Alex. *Gen. dier. l. 3. c. 7. fol. 128.* Diod. Sicul. *l. 1. c. 6.* Nec à  
Græcis Luctus alienus, de quibus Alex. ab Alex. *d. l. Ubbo, Græcorum*  
Emmius *descript. Reipub. Athen. part. 1. p. m. 266. & descript.*  
*Reipub. Lacon. p. 271.* Lycurgum etiam Lacedæmoniis tempus  
luctus præscripsisse testis est Plutarchus. v. Kirchman. *de Fu-*  
*ner. Rom. l. 4. c. 10. p. m. 409.* & quamvis Solon nimium forsan  
luctum inhibuerit, lamentationem sc. & ejulationem, quæ  
lessi nomine veniebant. Salmuth. ad Panciroll. *de Reb. Memor.*  
*part. 1. c. 62. p. 349.* moriturus tamen longè aliter sensit. Nam  
ejus quantumvis sapientis hanc fuisse orationem Cic. *l. 1. Tusc.*  
*Quæst. c. 117.* prodidit:

*Mors mea ne careat lacrimis, linguamus amicis*

*Mærorem, ut celebrent funera cum gemitu.*

Th. IV.

Quid Romani? ane hisce Luctus planè incognitus? *Romano-*  
minimè. Numa enim Pompilius sacrorum apud Romanos *rum.*  
ordinator & auctor, legem de luctu posuit. v. Valent. For-  
ster. *Hist. Jur. Civ. l. 1. c. 7. n. 6.* Plutarch. *in ejus vita:* Pro  
ætate, conditione & cognatione tempus luctus determinasse  
scribit Romanos. Seneca *Epist. 63.* Idem *de Consolat. ad Helv.*  
*c. 16.* Lex quoque decemvralis modum luctui præscribens,  
luctum non tam sustulit, quam approbavit: sic enim Tab. X.  
scriptum: *Sumtus & luctum à Deorum Manium juREmoveto;*  
& paulò post: *Mulieres genas ne radunto: neve lessum funeris*  
*ergo habento.* Cic. *2. de LL. 59.* vid. Jac. Gothofr. *ad LL. XII.*  
*Tabb. lib. 3. p. 146. & seq.* Quò aliàs infamiæ nota, uxoribus ma-  
ritos non lugentibus, inusta, de quâ in *l. 1. l. 8. l. 10. l. 11. §. 1. ff.*  
*de his qui not. inf.* vestis quoque sordida, capilli submissio,  
ceu signa lugubria, signatum ipsum, luctum sc. sat clarè apud  
Romanos indicant. *v. l. 39. ff. de injur.* Rævard. *Var. l. 3. c. 6.*  
Agell. *l. 3. N. A. c. 4.* Theodoric. *Colleg. Crim. c. 2. aph. 16. n. 5. lit. d.*  
Cladem Cannensem totam urbem Romam luctu adeò com-  
plevisse testis est Liv. *l. 22. c. 56.* ut sacrum Cereris eo anno  
intermissum sit, quoniam lugentes religione prohibebantur.

Nec





Nec servis lugere dominos prohibitum. Alexand. ab Alex. *Gen. dier. l. 3. c. 7.* Vis singulos nonnullos Romanos lugentes? Ecce, M. Antoninus, dictus Philosophus, mortuum educatorem acerbè flevit, ita, ut revocatus ab aulicis, Marc. Antoninus Imp. agnomine Pius dixisse feratur: *Permittite illi, ut homo sit, neque enim Philosophia aut imperium tollit affectus.* v. Capitolin. in vita Anton. Pii. c. 6. Augustus Imp. ubertim flevit mortem collegæ & adfinis sui, multarumque rerum, bellorumque socii M. Antonii. Plut. in Anton. C. J. Cæsar annulum Pompeji interfecti accipiens illacrymavit. Plut. in Pompej. in fine. Scatet talibus exemplis historia Rom. mille testis luctus Romanis usitati. Nec Germani luctum planè detestati olim. *Lamenta & lacrymas citò, dolorem & tristitiam tardè ponunt. Fœminis lugere honestum est, viris meminisse,* inquit Tac. de Mor. Germ. c. 27. n. 4. Imò omnes penè Christianæ Gentes hodiè vestitum lugubrem, ubi lugendum, induunt, ait Polyd. Virg. de Invent. rer. l. 6. c. 9.

Germanorum.

Christianorum ferè omnium.

Th. V.

Indorum.

Chinensium.

Moscovitarum.

Livonum veterum.

Japponensium.

Africanorum.

Hibernorum veterum.

Tacemus barbaras gentes. Indos scil. de quorum moribus V. Max. l. 2. c. 6. n. 14. Chineses de quibus Nic. Trigaut. in *descript. Chine* c. 7. p. 178. & seq. Moscovitas, vid. Joh. Fabr. in *Polit. relig. Moscov.* p. m. 144. seqq. item *descript. Moscovia ex Michalon. Lituani fragmentis de morib. Tartar.* p. m. 74. Livones olim, de quibus vid. Joh. Lasit. de *Diis Samogitar.* p. m. 285. Japponenses, horumque liberos, qui quolibet die mensis ejus, quo parentes obierunt, luctum repetunt. Varen. in *Descript. Regn. Japon.* part. 1. c. 20. p. 132. item *d p. c. ult.* p. 202. & seqq. Africanos, & in his Fessanos, de quorum lugendi ritibus, v. Joh. Leon. *Afric. Descript. Afr.* p. m. 329. Veteres Hibernos, de quibus Stanihurst. in *descri. Hibern.* p. m. 229. aliosq; Gentiles, quos ob excessum culpandos dicit Besoldus *Consid. vit. & mort. lib. 3. c. ult. n. 3.* Taxat & horum luctum immodicum Pontifex c. 27. XIII. 2. quasi ex ignorantia resuscitationis seu resurrectionis provenientem.

Th. VI. Cau-



Th. VI.

Causam luctus in Gentibus quæris? ipsa Natura nos mortuos lugere & calamitates acerbè ferre docet, unde magistram naturam non minùs, quàm ipsam humanitatem exuere potuerunt. Tacemus honestatem, misericordiam, quæ ceu Gentibus ex rationis lumine communes, luctum injungere videntur *arg. c. 19. XIII. 2.* Unde reprehensionem, ceu intempestivam inculavit Spartanus ille apud Ælian. *Var. Hist. l. 29. c. 27. Quid facerem, dicens, non ego, sed natura mihi luctum excoxit.*

*Causa luctus apud Gentes ex natura petenda.*

Th. VII.

Insuper habemus illas Gentes, & ut barbaras vituperamus, quæ puerperia lugent, natosque deflent: funera vero, velut sacra læta festo cantu, lusuque celebrant, ut Massilienses Thracesque, de quibus V. Max. *l. 2. c. 6. n. 12.* Alexand. ab Alex. *Gen. dier. l. 3. c. 7.* Turcæ itidem non nisi mortem Imperatoris, idque illo tantum tempore, dum pompa funeris ducitur, externo indicio lugent, teste Joh. Baptistâ Montalbano *Comment. Rer. Turc. p. 48.* quorum aut improbi mores accusandi, aut dicendum, quod rem ipsam à modo non discernant. Nec injuriâ testamentum Lud. Cortusii, J. Cti Patavini apud Paul. de Castro *ad L. quidam in suo. 27. ff. de condit. Instit.* ceu hominis non sanæ mentis in dubium vocatum *arg. d. l. 1. §. 1. 113. §. 5. de leg. 1.* quod moriens contra communem mortalium morem, interdixerit suis propinquis lacrymas, & solitas funerum lamentationes, & quæcunque lugubria ad mœffitiam parare solent, prorsus sub gravi pœnâ abesse voluerit; contra autem pro his, heredibus, Musicos, Cantores, Citharædos, & Tibicines omnis generis acciri, mandaverit, qui vario concentu unâ cum Clero funeris pompam partim præirent, partem sequerentur. vid. Kornm. *de Mirac. mort. p. 8. c. 3.* Camer. *l. 1. Hor. subcisiv. c. 12.* Imitatus fortè in eo Ennium, qui tale sibi scripsit elogium;

*Gentes mortuos non lugentes.*

*Cortusius fletus lugeri noluit.*

*Nemo me lacrimis decoret, neque funera fletum Faxit. Cur? voliso vivus per ora Virum.*

B

Sal.





Salmuth. in not. ad Pancir. de Reb. Memor. l. 1. tit. 62. p. 341.

Th. II. X.

Q. an lu-  
gere ju-  
stum sit?

Claudimus hoc caput cum quaestione, an etiam vel defunctorum mortem, vel aliam calamitatem lugere justum sit? De utroque datur affirmandum, modo immodicus absit, & aurea mediocritas, & moderatio in lugendo observetur. Quid enim magis pium, decorum & Christiano dignum, quam lugere mortuos nobis sanguine amicitiae junctos? Apud Ebraeos ob mortem propinquorum juxta praecipua Sapientum luctus injunctus fuit. v. D. Geier de Luctu Ebr. c. 1. §. 2. & seq. Testimonia ex S. Scriptura & Patribus petita allegare superfedemus, inveniuntur ea apud Balduin. ad Epist. 1. Pauli ad Thess. c. 4. part. 2. n. 1. & 2. p. 1161. & seq. v. D. Gerhard. tom. 8. loc. p. 155. & seq. Modicus tamen sit luctus, ne alias incurramus reprehensionem Ethnicorum, qui spem resurrectionis nullam habentes, immoderatus mortuos quasi plane jam amicos lugebant, quod in Christianis morem illorum imitantibus, taxat Paulus Apostolus d. l. De hoc immoderato luctu capiendi sunt textus in c. quam praeposterum 25. & c. ubicunque, 26. XIV. 1. Modicum enim luctum debitum pietatis officium vocat Ambrosius c. quia 24. d. C. & Quest. & nimium contristari de obuentibus nos non debere, ait Anastasius Papa c. habent. 27. d. C. & qu. Unde modicus & ratione temperatus conceditur. Romani quoque certas personas lugere injunxerunt, de quibus capite sequenti. Excessum tamen in lugendo inhibuerunt, quando mulieres genas radere, vel lesum funeris ergo habere prohibuerunt. Cic. 3. Tusc. Quest. 55. & 2. de LL. c. 59. Rittershus. dodecadelt. class. 1. c. 6. p. 26. Jac. Guther. de Jure Man. l. 1. c. 14. p. 83. & seq. non, quasi viris ita immodice lugere concessum sit, sed cum deforme hoc habitum sit in mulieribus, multo magis tale in viris fuit, & multo minus ferendum. De mulieribus autem ideo videtur cautum lege, quia hic sequior sexus propter imbecillitatem animi magis est obnoxius affectibus, & doloribus magis indulgere solet; Leges autem in potissimum parti occurrere consueverunt, in quam maxime pecca-



peccatur. arg. *J. un. Inst. de Lege Fus. Can. toll.* ibique Vinn. & pr. *Inst. quib. alien. lic. vel non. l. 4. §. 1. ad Scutum Vellej.* Moderatum itaque luctum Romani non improbarunt, nam ut Plato *lib. 12. de LL.* scribit; *absurdum putarunt esse, fieri mortuum juberi aut vestari; Terminari tamen eum oportet,* inquit Petr. Ærodius *Rerum Judic. l. 3. tit. ult. c. 2. jung.* Kirchm. *de Fünere. Rom. l. 4. c. 10. p. 407. seq.* qui: *in hanc,* inquit, *partem omnes LLatores, si rem accurate consideraverimus, videntur propendere,* qui luctum non tam planè è medio sublatum voluerunt, quam certo modo & tempore circumscriptum. Elegancia hanc in rem habentur apud Tac. *in Vita Agric. c. 28. v. 6.* *Agricola,* ait, *domestico vulnere ictus, filium amisit. Quem casum neq. ut plerique fortium Virorum ambitiose, neq. per lamenta rursus ac mœrorem muliebriter tulit. &c. v.* de hac mediocritate observanda Cic. *in Consolat. p. 631. E. F. edit. Gen. Bernegg. Quest. Misc. 145.* item Mart. Naurath. *de vita & morte homin. theor. 87. p. 191.*

## Th. IX.

Calamitatem quoque aliam deslere & lugere quis indecorum, turpe, aut impium crederet? Peccatorum tuorum si recordaris, habes lugendi materiam sufficientissimam. y. Balduin. *d. l. p. 1163.* Plena est sacra pagina exemplorum ob peccata lugentium. Ob alias calamitates moratiores Gentes luxisse infra apparebit. Quod, nisi affectus ab homine remove velis, indecens haud habebitur, aut in vitio ponetur. Utut forsan hinc conceptus mœror non iisdem gaudeat effectibus, nec iisdem semper signis, quibus forsan ob sanguine vel amicitia junctorum obitum lugemus, declaratus legatur. Semper itaque memoria hæreat Cyrilli illud *in Johan. l. 4. c. 20. ex toto nec compati, nec mœrere, ferinum est, & durum, horum verò exuberantia, muliebre.* Item Senecæ *de Consol. ad Helv. c. 16. infinito dolore cum aliquem ex carissimis amiseris, affici, frustra indulgentia est: & nullo, inhumana duritia.*



## CAPUT TERTIUM.

Dividitur Luctus in privatum & publicum. Ille ob personas varias extinetas vel quibus privati sumus. item ob calamitatem. qui vel necessarius vel arbitrius. Hic itidem vel ob personas tam publicas quam privatas. item calamitatem. vel ad jussum superioris, vel spontè susceptus.

## THESIS I.

*Luctus alius* **P**ost delinatam luctus originem ad divisionem properamus. Invenitur autem luctus alius domesticus seu privatus; alius publicus: uterque à causâ efficiente remotâ vel proximâ; vel ab objecto, quod lugemus, desumptus. Illum domesticum sc. seu privatum dicimus, quando vel personas, ut parentes, liberos, necessitudine junctos, agnatos vel cognatos, conjuges, aut amicos mortuos, vel quibus aliâs privati sumus: vel calamitatem aliam privatam lugemus. Dicimus Parentes: hos enim lugendos, vel ipsa honestas, reverentia & amor illis debitus non tam suadet, quam Ratio. injungit. Moratiores Gentes id observâsse, passim legimus. *variârum gentium moribus probata.* Unum alterumve exemplum tetigisse sufficiat. Josephum in Aegypto patri suo luctum fecisse, invenitur *Gen. 50. v. 3. & seqq.* Hebræis luctum ob Parentes ostendere necessarium fuisse, ut nec sine probro omitti potuerit, ostendit D. Geier. *de Luctu Ebr. c. 3. §. 2. & seqq.* Romanis moris fuisse Parentes lugere, Ulpian. *in l. 10. pr. ff. de his qui not. inf.* indicat, quando luctum



luctum Parentum nuptiis impedimento non esse asserit. Idem  
in l. 23. d. t. Parentes lugendos sancitum refert, sine quidem  
infamiae nota, ubi non eluxerunt, quae olim obtinuit, de qua  
mox. Imò Indi, inviolabili consuetudine luctum ob patrem  
matremve diu protrahunt. Trigaut. in descr. Regn. Chin.  
c. 7. p. 178. Honestati & reverentiae jungimus tenerum illum,  
quo Parentibus adhæremus, amorem, ut illorum desiderium  
luctu, amoris quasi pristini indicio, demonstramus. Hanc  
causam apud Chineses reddit Trigaut. d. l. protrahi luctus,  
ut suis parentibus, qui primo ætatis tempore se ulnis gesta-  
runt, tantoque labore & curâ educarunt, vicem rependant.  
O pium in gente impiâ morem, à Christianis ut observan-  
dum, sic semper utinam observatum!

Th. II.

Parentum autem vocabulum ut non tantum patrem  
sed & matrem, adeoque utrumque sexum, item primi & ulte-  
rioris gradus Parentes comprehendit. l. 4. §. 1. & seq. ff. de In-  
Jus voc. l. 1. l. 2. l. 3. l. fin. §. 7. de grad. & aff. l. 51. ff. de V. S. (non  
obst. autoritas Laurent. Vallæ l. 3. Eleg. c. 70. qui à pariendo pa-  
trem & matrem tantum parentes dici vult, cui satisfacit Gædd.  
ad d. l. 51. n. 2.) sic & omnes lugendi. Reverentia enim &  
amor omnibus debetur, teste Paul. Jcto in l. 6. d. t. & Ulp.  
in l. 23. de his qui not. inf. Parentes autem quidam naturâ sunt,  
quidam lege. Illi nobis per geniturum & naturales: hi per  
adoptionem constituuntur & legitimi dicuntur. Illi rursus  
tales aut naturâ & jure seu lege simul, approbante sc. qui na-  
turales & legitimi: aut natura tantum; & naturales vocan-  
tur; qui vel sine speciali legis notatione & naturales in specie  
ceu in concubinato: (Inter hos tamen & quos vulgivaga  
notat Venus nulla hodiè differentia, Ordin. Pol. Franc. of. de  
anno 1577. tit. von leichtfertiger Beiwohnung.) vel cum sin-  
gulari juris improbatione & damnatione, quos lex ob adulte-  
rium vel incestum damnat. Quae autem de luctu ob paren-  
tes dicta sunt, de legitimis & naturalibus simul intelligenda  
esse nemo non animadvertit. An autem & de legitimis tan-

Ind.

Parentum  
nomine  
qui veni-  
ant.

An & le-  
gitimi



An Natu-  
rales?

cum quos lex per adrogationem & adoptionem constituit? sic censemus arg. §. 1. *J. de nupt.* Sed an etiam ob naturales tantum lugubria sumenda? sic videri posset. Reverentiam enim & his servandam dicit Paul. *Jct. in l. 4. §. 3. & l. 6. ff. de in jus voc.* & vitam dederunt, quid autem rependere poteris? Rectius autem negandum. Uti enim liberorum nomine non veniunt nisi qui ex justis nuptiis procreati *l. 220. §. fin. ff. de V. S. l. 4. l. 6. ff. de his qui sui vel al. §. pen. J. de nupt.* nec filiorum nisi qui ex viro & uxore, i. e. legitimis nuptiis nascuntur *d. l. 4. & 6. §. 3. J. de Pat. pot.* Ita nec viceversa parentes dici merentur nisi quos justæ demonstrant nuptiæ *l. 5. ff. de in jus vo.* ex naturâ relatorum, quæ à pari judicantur. *c. gaudemus 8. X. de divorc. arg. l. 3. C. de ind. vid. toll.* Imò liberi de luctu interrogati propriam agnoscere tenerentur turpitudinem *Sapient. c. 3. vers. fin.* ad quam tamen detegendam nemo tenetur. Nec obst. Paul. *in d. l. 4. §. 3. & l. 6. ff. de in jus voc.* Siquidem naturales parentes & liberi de jure Civ. Rom. dicuntur qui ex concubinato ceu licitâ apud Rom. consuetudine *l. 3. §. 1. ff. de concub.* oriebantur: unde rectè Paulus *Jct.* & talibus parentibus jure toleratis reverentiam exhiberi dicit. Ita ut quantum ad jus Rom. & talibus parentibus reverentia per luctum exhibenda rectè dicatur. Jure autem hodierno forsan secus. Non autem intelligendos hic putamus parentes ex matrimonio ad Morgengabicam seu Morganaticam, inter Magnates nonnunquam tolerato, tales. hi enim cum legitimum matrimonium, quod uno alterove effectum saltem caret, contraxisse dicantur, legitimos etiam post se relinquent liberos. vid. *Grot. de Jur. Bell. & Pac. l. 2. c. 7. §. 8. n. 3.* *Magnif. D. Struv. §. J. F. c. 9. aph. 5. n. 8.* *Hahn ad Wesenb. de jur. dot. n. fin. p. 116.* *Cypr. de Sponsal. c. 13. §. 41.* hincque quod de legitimis & naturalibus lugendis supra dictum etiam hîc obtinebit. Quos damnatus coitus ostendit parentes, illi luctu liberorum merito carent, ne vitium laudem seu honorem consequatur: aut insigne vitium in se demonstrare teneantur liberi incestuosi. Ne autem putes ob hereditatem à Parentibus acceptam luctum



luctum liberis inunctum à Romanis: aut patriam potestatem etiam hinc post mortem suam exserere effectum, etiam exheredatum filium hucum habere debere memoriae Patris pie sancitum: idemque in matre juris fuit, cujus hereditas ad filium olim non pertinebat. *l. fin. ff. de his qui not. inf. t. t. Inst. de Scto Orphit.* nec matri ulla in liberos potestas. *l. 4. §. 2. de Bonor. poss. contra Tabb.*

## Th. III.

Luctum autem propter liberos nobis per mortem ereptos tenerrimus ille Parentum in liberos affectus, & naturalis erga filios caritas. *l. 15. pr. ff. de inoff. test.* suadet; imò nobis etiam invitis natura ipsa quasi extorquet. *vid. eleg. Faes ad Gyrald. de Sepult. ac var. sep. rit. c. 1. lit. bb. p. 98.* Quam planè consolationem admittere nescius Jacobus Patriarcha, Josephi filii obitum, reverè tamen à fratribus venditum, falsò audiens? *Gen. 37. dicit textus ibi: vers. 34. scissis vestibus indutus cilicio diu lugerat filium.* Quid dicamus de Davide, prædictam mortem filii, ex adulterio tamen quæsiti, tantoperè lugente, ut seniorum domus, consolatio planè sprete fuerit? *2. Sam. 12. v. 17.* Idem Amnon filium proditoriè à fratre interfectum cum totà domo regià luxit. *2. Sam. c. 13. v. 31. & seqq.* Nec taxatur in sacrà Scripturà luctus quem luxerunt matres filiorum ab Herode intersectorum: *Vox in Ramà audita est, ploratus & ululatus multus, Matth. 2. v. 17.* Quid de Ephraim diu lugente filios occisos? *1. Paralip. 8. v. 22.*

## Th. IV.

Romanos vis? Ecce Marullum apud Senec. *Epist. 99. Romanos!* Ciceronem suam Tulliam lugentem. *Cic. Epist. ad Fam. l. 4. Ep. 5. & 6.* & Seneca de *Consol. ad Helv. cap. 16.* testatur, foeminas fuisse, quæ amissis filiis lugubria nunquam exuerunt. Taceamus Octaviam & Liviam, alteram sororem, alteram uxorem Augusti, de quarum tum acerbiori, tum remissiori ob filios juvenes luctu vid. *Senec. Consol. ad Marc. c. 2. & 3.* Quid Pulvillum Pontificem recenseamus? ei Capitolum dedicanti mors filii nunciabatur, dissimulavit eam, ut ne gemitu precationem interruperit: idem tamen ut rediit domum, & implevit

## II. Liberi.

Variire-  
censentur  
parentes  
liberos lu-  
gentes.  
Apud E-  
braeos.



plevit oculos & voces flebiles misit. Sen. d. l. c. 13. Farragineræ exemplorum, quæ Historia suppeditat, adducere, tutò supersedemus, res enim notior, quàm ut declaratione prolixâ indigeat. Audi tamen Paulum Jctum, qui *lib. sent. i. tit. ult. Parentes*, inquit, & filii majores sex annis, anno lugeri, (seu, ut vult Jac. Guth. de Jure Man. l. 3. c. 28. p. 577. elugeri) possunt, minores mense, maritus decem mensibus, & cognati proximioris gradus, octo. Qui contra fecerit, infamium numero habetur; uti hæc supplet, Jctorum Coryphæus Cujac. l. 21. Obs. 12. & seq. ubi quod dicitur apud Paulum: *possunt*; explicandum dicit: debent. Ostendit id etiam pœna subjecta. Vides hic non tantum honestum habitum parentes ob liberorum mortem & vice versâ, lugubria sumere, sed & pœnâ gravissimâ affectos officii & pietatis immemores. Scripsit & in hæc sententiam aliquid Ulp. in l. 23. ff. de his qui not. inf. Cum autem ista luctus definitio apud Paul. rigida nimis visa fuerit Triboniano, vel ætate ejus obsoleverit, in arbitrio & pietate positum fuit, quanto tempore quis sanguine junctos elugere velit, remotâ etiam infamiæ pœnâ, unde Ulp. in d. l. Parentes, inquit, & liberi utriusq; sexus, nec non & ceteri agnati vel cognati secundum pietatis rationem, & animi sui patientiam, prout quisq; voluerit, lugendi sunt: qui autem non eluxit, non notatur infamiâ. Interpolatam autem à Triboniano pro suo arbitratu, quem in legibus figendis, & corrigendis ex Imp. Justiniani concessione sibi usurpabat, Constit. Tanta. de Confirm. Dig. J. 11. & seqq. v. Hagemeyer d. Auctorit. Jur. Civ. c. 3. pag. 11. non vanè conjicit Cujac. d. l. Jac. Guth. d. l. Kirchm. de Fun. Rom. l. 4. c. 10. p. 410. Romanos etiam luxisse liberos, testis est Ulp. in l. 11. pr. ff. de his qui not. inf. Et cum Imp. Justinianus successionem liberorum tristem vocet in J. 2. Inst. de Scto Tertull. & luctuosa liberorum hæreditas in l. ult. C. de Instit. & Substit. & in l. fin. C. commun. de Success. dicatur: ad ultimum locum Pater à legibus conclametur, & sui filii non gratam hereditatem relictam, sed triste lucrum sibi lugeat acquisitum; à parentibus Romanis luctum ob liberos alienum æquis rectè dubitaverit? Præit

apud quos  
olim non  
luxisse  
sanguine  
junctos  
probrosū.

Mitigatū  
postea.



nos etiam Numa Rex Rom. qui pueros & minores triennio, planè non : minores autem natu, tot mensibus lugendos, quot quisque annos vixisset, sancivit : ita tamen, ut intra decimum mensem, ceu longissimum tempus luctus terminaretur. Plat. in Numa. Inhumanitatem hinc vocat Sen. ep. 99. non virtutem, funera suorum iisdem oculis, quibus ipsos videre, nec commoveri ad primam familiarum divisionem? Quæ de parentibus variè acceptis sup. th. 2. ea & hinc convenienter applicabis.

## Th. V.

Sanguine junctorum (cognatos sive agnatos dicas, quamvis hi præ illis olim magnam habuerint prærogativam, ceu ex tit. J. & ff. de leg. agnat. tut. & J. un. J. de leg. Patron. tut. item ex tit. J. de legit. agnat. success. & passim apparet, nobis hinc perinde, nec ulla inter eos hinc differentia) mortem, luctum extorsisse, quid opus variarum Gentium mores recensuisse? Sufficiant nobis hinc Romani, hi ceu ex loco Paul. suprâ alleg. constat, octo mensibus cognatos proximos lugere mandarunt, & virtutem sanctione pœnali muniverunt, licet, pœnâ demtâ. sanctio Triboniani ævo duraverit, determinatio tamen temporis insuper habita, illaque ad pietatis rationem, & cuiusvis arbitrium redacta l. 23. ff. de his qui not. inf. Agnationis & cognationis hinc nullam differentiam diximus. ex utraque enim censentur nos sanguine, adeoque & caritate attingere, quæ, ceu luctus & mœroris causa in utrisque æqualis, æqualem meritò produxit effectum : majorem, quò sanguine proximiori, & ex hinc majore caritate juncti.

## Th. VI.

Conjuges suprâ addidimus. Ob hos enim amissos fermè omnis retrò ætas luctui indulgit. Ex sacris nota sunt exempla Abrahami Gen. 27. Judæ Gen. 3. v. 12. Hesekielis 24. v. 16. & seq. De Luctu viduorum apud Ebræos, vid. D. Geier tract. de luctu Ebr. c. 2. J. 7. J. 21. & c. 3. J. 2. & 3. p. 25. Viduarum quoque suos lugentium maritos, in Sacris invenitur Batzeba, Uriam maritum lugens 2. Sam. 11. v. 26. & 27. Naëmi Ruth. c. 1. v. 20. Thamar. Gen. 38. v. 14. Judith. lib. Jud. c. 8. v. 2. & seq. Apud alias Gentes luctum conjugum invicem usitatum fuisse, appa-

III. Sanguine junctorum.

IV. Conjuges.



Romani  
an uxores  
suas luxu-  
runt qd?  
Aff.

ret ex Darii exemplo apud Curt. l. 4. c. 10. n. 29. suam deffertis conjugem, quam exstinctam credebat. Cleopatraz, suum Antonium, Plut. in Anton. Agrippinæ, Claudium, Dio Nicæ. in Vid. Claud. circa fin. Helviæ, maritum suum, Sen. de cons. ad Helviam, lugentium. Romani quidem an uxores suas luxerint, dubitari posset: cum Seneca epist. 63. dicat: Ideo viris nullum lugendi tempus legitimum, i. e. legibus determinatum esse, quia nullum honestum sit. Confirmare hoc videtur Imp. in l. 8. J. s. C. de Repud. dum statim concedit viro ad secunda vota transire. Ergo, inquis, si lugere viris turpe habitum apud Romanos, illos luxisse credibile non esse. Verumenimvero Senecam ibi luctum omnem viris prohibuisse, tantominus vero est simile, quantum magis alibi luctum injungat. Sic enim de Consol. ad Helv. c. 16. nam infinita dolore affici, cum aliquere ex carissimis amiseris, stulta indulgentia est, & nullo, in humana duritia. Quam inhumanitatem etiam vocat, non virtutem epist. 99. Unde quando honestum non esse lugere seu mœrere dicit, intelligendus est de immoderato dolore cui obluendum: non de modico, cui indulgendum, ne humanitatem cum mœrore excussisse videamur; hinc c. 16. de Cons. ad Helv. Optimum, inquit, inter pietatem & rationem temperamentum est, & sentire desiderium, & opprimere. Aurea alia de modo in mœrore hic adhibendo ibid. videri merentur, cui jungantur illa, quæ de Consolat. scripsit, nimirum ad Polyb. & Marciam, jung. epist. 63. ibiq. Lips. item epist. 99. In illâ: Illacrimandum dicit, non plorandum: In hac permittamus, inquit, lacrymas cadere, non imperemus. fluant, quantum affectus egerit, non quantum poscet imitatio &c. consentit Cic. l. 2. Tusc. Quæst. 11. ingemiscere, ait, nonnunquam viro concessum est, idque raro, ejulare nequidem mulieri. Unde apud Horat. Epod. X.

*Illam non virilis ejulatio.*

Impp. in d. l. 8. J. s. C. de Repud. loquuntur de divortio ob vitia mulieris, ubi cum pietas & reverentia in muliere exfulavit, quæ majorem à viro postulabit? Imò de illo, quod non

nota-



notatus fuerit infamiz: non quod pium, decorum, & honestum non sit, lugere uxores, disponunt.

Th. VII.

Nimii forsan essemus, si exempla maritorum Rom. lugentium produceremus; Unde sufficiat nobis Ulpian. qui in *l. 9. ff. de his qui not. inf.* unam cum Seneca quasi edit vocem, luctum maritis concedens, determinatione temporis mulieribus injuncta, saltem detracta: *Uxores, inquit, viri lugere non compellentur; seu, ut fortè rectiùs Jac. Guth. de Jure Man. l. 3. c. 28. p. 581. elugere.* Sic enim loquebantur Veteres, & idem erat, ac luctum statò tempore finito deponere, *Liv. l. 34. c. 7. quid aliud, inquit, in luctu quàm purpuram atq; aurum deponunt? quid cum eluxerunt? sumunt.* Sic & invenitur in *l. 23. d. t. item l. 8. & passim d. t. de his qui. v. Jac. Rævard. var. l. 1. c. 20. p. 530. & seq.* Utut autem nullum legitimum tempus maritis præfinitum sit, aliquod tamen moribus ob matrimonii honorem, & summam, quæ inter conjuges fuit, familiaritatem, amicitiam, & perpetuum, quod intenderant, vitæ consortium, & hinc natum desiderium, quod naturâ duce, luctum & mœrorem extorquere etiam invitis solet. *Cic. l. 1. Tusc. Quest. c. 30. & l. 3. c. 70. & seq.* receptum fuisse omninò probabile, ut sc. mariti uxores lugeant secundum pietatis rationem, nec ex remissâ pœnâ infamiz quod non eluxerint mariti, statim ad remissionem luctûs ipsius inferendum. *l. 9. ff. de his qui not. inf.* Cum pietate meritò jungitur honestas. Uxor enim memoriam statim cum funere domo efferre, inhumanum est, & viro probrosum; Quamvis enim infamiz pœnam non incurrat, qui id fecerit, apud viros tamen bonos & graves levitatis & incontinentiæ non immeritò insimulabitur, ut è contrario laudabitur, qui memoriam uxoris annum vel biennium, aut ad minimùm sesquiannum continentiam vitæ, & habitu lugubri colit. Quâ de causâ Imp. Manuelem laudibus extollit Nicæt. Acominat. qui uxorem certo temporis spatio luxit, antequam denuò maritus factus; verba hujus laudationis vid. apud *Cypræ. de Sponsal. c. 13. §. 96. p. 610.* Benè

C 2

huc





*Statuta  
varia ut  
mulierib9  
sic & viris  
luctum in-  
jungunt.*

huc respexerunt Conditores Statutorum particularium, variorum in Germaniâ locorum, qui ut mulieri: sic & marito; ut luctum injunxerunt: sic ad elugendum spatium determinarunt, honestatis, vitandique scandali causâ. v. B. D. Gerhard. loc. de Conjug. tom. 7. §. 200. D. Geier. tract. saepe alleg. c. 2. §. 7. p. 21. Sic Jure Saxon. Elect. ut mulieri ad elugendum annum, ita maritis spacium semestri junctum. Carpz. Jurispr. Consist. lib. 2. Def. 159. & 160. Idem sancitum in Ordin. Provinc. Saxo-Goth. p. 1. cap. 8. tit. 4. ibi: Den Wittbern aber die kleine Kindlein haben &c. sollen nach Verfließung eines halben Jahres / nach des Ehegatten Absterben sich anderweit einzulassen / unverböthen seyn; ut vel hoc modo levitatis, & impudicitia nota evitetur, cum acceleratio secundarum nuptiarum dicatur ibi: Eine Anzeigung eines sonderbahren liederlichen Gemüths / und daß man des ersten verstorbenen Ehegattens wenig geachtet / auch mehr auf fleischliche Lust / als auf Erbarkeit und Zucht in der Ehe gesehen. ita & Mev. ad Jus Lub. l. 2. tit. 2. art. 12. n. 427. In Lege Genevensi cap. 108. sancitum legitur; ut vir justum aliquod tempus expectet, antequam denuò maritus fiat: tum ut scandalum evitet, tum vero ut ostendat, se divinam castigationem perpeßum esse. verba ita habent: Quant à l'homme vesue, combien qu'il n'ya tel egard qu' à la femme, qu' il attende neantmoins quelque temps raisonnable avant que se remarier, tant pour obvier à scandale, que pour montrer aussi, qu' il à senti la main de Dieu. Unde in Galliâ & Germaniâ uxores maritos: & contra mariti uxores elugere, & vestem lugubrem, aliaque insignia, hoc est, fasciam & pullas vestes annum, vel supra, sæpè & infra gestare solent, v. Cypr. d. l. Idem tempus & viduis maritis, & foeminis præscriptum legitur, in der Ehegerichts-Ordnung Sereniss. Electoris Palatini tit. 14. vid. Rittershus. Expos. Nov. part. 4. c. 3. n. 20. sic & jure Statut. Norimberg. jubentur certo spatio lugere suas uxores, Reform. Noric. tit. 28. c. 10. §. fin. vid. Wurfbaïn de Differ. Jur. Civ. & Reform. Noric. class. 1. membr. 1. th. 24. p. 31.

Th. VIII.



Th. VIII.

Domestico luctu lugendos etiam amicos supra diximus. Sic David suum deflevit Jonathan 2. Reg. 1. Viri pii ob lapidatum à rabidis Judæis Stephanum Protomartyrem planctum fecerunt magnum Actor. 8. Alexander M. ex interitu Hephæstionis amici sui tanto mœrore correptus legitur apud Curt. l. 10. c. 4. n. 24. & Justin. l. 12. c. 12. n. 12. ut super amici corpus exanime ejulans procubuerit, vixque inde ab amicis abstractus fuerit, diemque noctemque luctum continuârit. Alia exempla ultrò prætermittimus.

IV. Amick

Th. IX.

Ut autem ob supra recensitos casus luctus necessarius, imò si omittatur, contra honestatem à Legibus injunctam, omissus: ita ob amicos non tam ex necessitate, quam ob memoriam pristinæ amicitix susceptus, dicendus est. Athenis lege erat prohibitum, ut ignotus aliorum accederet funus. Cic. 2. de LL. 65. & 66. ibi: *habet enim luctus concursus hominum, quocirca Pittacus omninè accedere quenquam vetat in funus aliorum.* Unde Kirchm. de Funer. Rom. l. 2. c. 10. p. 119. dicit: *amici & cognati præcipuè ibi conspiciébantur. & paulò antequam hanc ratione suam erga defunctam benevolentiam restarentur, & si fieri posset de dolore luctuq; superstuum liberorum propinquo- rumve in se transferrent particulam.* Ad hunc luctum per funeris prosecutionem amicè extorquendum, morientes apud Romanos suos invitare amicos legato solebant, ceu patet ex l. 9. ff. de Condit. & demonst. Ulp. fragm. tit. 24. §. incerta 17. de Legatis.

Ob hos tam men lucto magis voluntatis quam necessitatis

Th. X.

Non autem tantum ob mortuos, ut supra fuscè ostensum, sed & ob hos quorum præsentia privati sumus, & ubi duri quid his accidat, metuimus, luctus institui solet. Quantus mœror invasit Davidem, ejusque exercitum, cum reversi à Rege Achis uxores & liberos per Amalekitas captos & abductos audiebant? Planxisse leguntur, ut lacrymæ eos defecerint: contristabatur enim quilibet ob uxores & liberos in capti-

Non mors solum sed & privatio eorum de quibus dicitur lucto domestico capti-





captivitatem duram abducos. *1. Reg. 30. v. 2. & seq.* & ob captivitatem liberorum Propheta Micha luctum populo Judaico indixit, quando *cap. 1. vers. fin. decalvare* inquit, *& tondere super filios deliciarum tuarum, dilata calvitiam tuam sicut aquila, quoniam captivi ducti sunt ex te.* Principem sapientiæ Senecam filium, in Corsicâ exulem, luxit Helvia mater, ceu patet ex illius *Consol. ad Helv. matrem.* Quid referemus Darium captivitatem & absentiam matris, conjugis & liberorum gemitu & lacrymis lugentem? *Curt. l. 4. c. 10.*

Th. XI.

Ob calamitatem  
privatam  
luctus usi-  
tatus.

Ob calamitatem quoque privatam, siue propriam, siue alienam mœrore nos affici solere, nemo fortè fragilitatis humanæ conscius, inficias ibit: nec enim cuiuslibet Stoica & dissimulans data mens, aut chalybs circa pectus est, ut moveri, & ob calamitatem affici sit nescius. Quot hîc calamitatum tot quoque fermè luctus species. Sic ob deflorationem luxit Thamar *2. Sam. 13. v. 19.* Virginitatem duos menses deflevit filia Jephthæ: & præceps votum, quod initum nolebat Jephtha, seriò luxit, *Judic. c. 11. n. 35. & seq.* Jobus ob gravissimam, quâcum colluctabatur, calamitatem; *versa est, in luctum cythara mea, & organum meum in vocem flentium: facies mea intumuit à fletu, & palpebrae meae caligaverunt, Job. 3.* De Scipione Africano refert Plut. *in Apophtegmat.* cum apud Numantiam milites luxuriâ ac deliciis diffuere comperisset, sagum fibulâ substrictum ac pullum gestantem exercitum lustrasse, & submurmurantem ob militum ignominiam, se in luctu esse monstrasse. Alexander M. suam calamitatem & affectum præcipitem in Parmenione à se ebrio interfecto tanto gemitu, ejulatuque miserabili planxit, ut omnis solatii incapax, illo tota regia repleta fuerit. *v. Curt. l. 8. c. 2. n. 5.* Alii sua fleverunt peccata, ut illa famosa peccatrix apud Evangelistam Lucam *c. 7. v. 37. & seq.* David *Psal. 6. & passim.* Petrus Apost. *Luce 22. v. 62. & omnes pii, horum pœnitentium exempla imitantes, sua cum Paulo Apost. ad Rom. 7. vers. 15. & seq. lugentes.* Et quid prolixi simus in hisce recensendis? dies



dies enim nos hinc potius quam materia deficeret. qui varias ob causas lugubria induerunt, aut in mœrorem coniecti sunt, vid. apud Zwinger. *Theatr. vita hum. vol. 1. lib. 1. rubr. Mœror. Luctus* & vol. 1. l. 3. rubr. *Lacrymæ, Fletus*. Omnes autem effectus, quem aliàs luctus ob mortem assumtus, de quo supra, hunc ob calamitatem habuisse, uti asserere non licet; sic aliquos tamen hinc secutos non est dubitandum.

## Th. XII.

Quàm justus autem fortè mœror in calamitate lugenda, quæ reverà talis est: sic ridiculus est eorum, qui calamitatem sibi finxerunt, quæ apud prudentes non tam calamitas, quàm mentis imbecillitas, vel etiam stultitia dici merebatur. Quid quæso magis ridiculum, quam murænam, quæ voluptatis gratiâ alebatur, flere aut lugere? & tamen Hortensius & L. Crassus, Vir censorius, uterque orator disertissimus murænam in piscinâ mortuam atrati, ceu filiam luxerunt Macrob. *Saturn. l. 3. c. 15*. Quis credidisset domitorem Orbis Alexandrum M. in domandis affectibus tam impotentem fuisse, ut tam ægrè & muliebriter tulerit mortem Bucephali sui, de quo Plut. *in vit. Alex.* De Cyparisso refert Virg. tanto eum fuisse in cervam amore, ut eâ mortuâ ob dolorem & mœrorem quoque expiraverit. Ridenda sanè horum stultitia, nî eam lugendam dicere malis cum Syrac. *c. 22. v. 10.* quod ratione carent.

## Th. XIII.

Supereff, ut jam de luctu publico dispiciamus. Hunc nuncupamus, ubi vel personæ sive publicæ, sive privatæ obitus, aut alia calamitas ad jussum superioris, vel spontè suscipitur. Quemadmodum enim toti Reip. ubi benè est, non potest non quoque singulis in Rep. viventibus benè esse arg. eorum, quæ egregiè differit Arist. *1. Ethic. 2. & 7. Pol. 1. & 2. Mevius Prodr. Jurispr. Gent. commun. Inspect. 5. n. 19. p. 285. Hornej. Phil. Mor. l. 4. c. 3. n. 3. & 6.* Sic etiam ubi Respub. per Principum, illustrium & virtute clarorum interitum, aut aliam calamitatem damnus sentit, non potest non & hoc in singulos, & ob

*Dolor justus ut justum: sic injustus ridiculum luctum facit.*

*Luctus publicus quid & unde. vel adjussum superioris vel sponte suscipitur.*



& ob id luctus ac mœror in omnes redundare. Gentium, rationabilem causam pro fundamento ponentium, morem quasi communem observare & hîc licet, ut calamitas communis & luctum communem singulis expresserit. Quamvis autem luctus non tam in extrinseco habitu, & signis lugubribus, (siquidem hereditatem captantium, & ceu vultures cadaver inhiantium luctus sæpè sub persona risus est, teste Guth. *de Jure Man. l. 3. c. 28. p. 578.*) quàm interno mœrore, animi demissione & tristitiâ consistat: hæc tamen, ut extrinsecus quoque signo quodam externo & in sensus incurrente demonstraretur, opus est. nam occulti interni, externum index sæpè certissimus.

## Th. XIV.

à superio-  
re injun-  
ctus luctus  
1. ob perso-  
nam Prin-  
cipis ex-  
stinctam.  
Mos Ebr.

Aegyptiar.

Græcor.

Quemadmodum verò domesticus seu privatus luctus, ut sup. dictum, mox necessarius, mox voluntarius: ita & publicus vel necessarius, ob mandatum superioris, vel sponte susceptus. Percurramus breviter, pro ratione instituti quod suscepimus, propositam divisionem. Ubi in necessario luctu publico à Superiore injuncto, occurrit persona Regis & Principis ceu capitis Reipub. sacriati, morte, vel aliâs interempti aut erepti. Saulem Regem populi Israël interfectum, non solum David, sed & hujus jussu populus luxit 2. *Sam. 1. v. 11. & seq.* An autem apud Ebræos lege sancitum fuerit, Reges seu Principes necessario lugere, non invenimus, nec inter personas, quæ ex necessitate veniebant lugendæ, de quibus ex Majmonide D. Geier *d. tr. c. 3. §. 3. p. 25. & seq.* recensentur. Quamvis fermè ut Reges, & qui vices Regum gesserant lugerentur, mos ad instar legis observandus generaliter receptus fuerit. Sic plurima luctus publici, ob Reges hisque similes suscepti, leguntur in sacris exempla, quæ si non ad indictum luctum, ad sponte tamen ex more quasi receptum, referri queunt, de quibus infra. Morem ad instar legis observandum Aegyptiorum, in iugendis Regibus, multo constantem apparatu, vid. ex Diodor. Sicul. apud Gyrald. *de var. Sepel. rit. c. 17. p. m. 367. & seq.* Apud Græcos expressâ lege sancitum erat,



erat, Reges suos lugere; quem luctus ritum, præcipuè apud  
 Lacones, ex Herodoto eleganter describit Ubbo Emm. *in descr.*  
*Rerump. Græc. part. 1. p. m. 278. & seq. vid. Alexand. ab Alex.*  
*l. 3. Gen. dier. c. 7. fol. 128. b.* Apud Chineses in Regis funere  
 publicus luctus lege generali indicitur, quò mœrorem de Re-  
 gis morte conceptum lugubri cultu profiteantur. Nic. Trigaut.  
*de Regno Chin. c. 7. p. m. 179.* Nec Romani cessarunt, luctum ob  
 Rectorem Reip. defunctum injungere. In Octavii, qui primus  
 Augusti nomen meruit, Dio *in vit. August.* Suet. *in August. c. 7.*  
 funere, ipso exequiarum die, ponendos aureos annulos, ferre-  
 osque sumendos, ad luctum ob optimi Imperatoris obitum  
 demonstrandum, decretum fuit, Suet. *in Aug. c. 100.* & Dio  
 Nic. *de eod. in ejus vitâ; Viri, inquit, in luctu erant perpaucos*  
*dies, ut erat consuetudo, matronæ eum Decreto Senatus annum*  
*luxerunt.* Primus hic dicitur, cui publicè luctus decretus.  
 Guth. *de J. M. l. 3. c. 29. p. 584.* Marco Antonino Pio, summi  
 qui optimis Principibus deferri solebant honores, post mor-  
 tem decreti sunt, teste Capitolin. *in vitâ M. Anton. Pii. circa fin.*  
 Nec minor post mortem decretus honor filio ejus adoptato,  
 & successori in imperio, M. Antonino Philosopho, teste Dione  
*in ejus vitâ.* Et morem hunc apud Romanos publicè obser-  
 vandum eleganter delineat Herodian. *in vit. Antonin. & Geta,*  
*lib. 4. cap. 2.*

Chinens.

Romanor.

## Th. XV.

Invenitur etiam luctus conjugibus Impp. Regum, Prin-  
 cipum publicè decretus. Sic Liviæ Augusti conjugi non so-  
 lum decreta, quæ Tiberius mandaverat, sed & Senatus censu-  
 it, ut eam matronæ lugerent, Dio *in vitâ Tib. lib. 58.* Jungi-  
 mus huic, quamvis virtute longe imparem, sororem simul &  
 uxorem Caligulæ, Drusillam; quâ defunctâ, justitium (luctus  
 publici hoc erat indicium) is indixit: in quo risisse, lavisse, cœ-  
 nâsse cum parentibus, aut conjugis liberisve capitale fuit,  
 Suet. *in Calig. c. 24.* Apud Chineses Regina, primaria sc., quæ  
 & legitima dici potest, (nam præter hanc Rex alias novem  
 habet) eodem, quo Rex defunctus, post mortem luctu ho-

II. Augu-  
 ste, seu  
 conjugis  
 Principis.

D

nora-



*Ante di-  
Et a more  
communi  
Germano-  
rum fir-  
mantur.*

noratur. Trig. de Regn. Chin. d. l. Et quid quæso in totâ Ger-  
maniâ, item & alibi notius, quàm Principum & Patriæ Patrum,  
item & horum conjugum, liberorum quoque & aliorum san-  
guine junctorum mortem publicè, luctu indicto, lugere? Ad  
mœrorem hinc ostendendum omnis instrumentorum musi-  
corum usus, vestimentorum luxus, chorearum & volupta-  
tum licitarum usurpatio, & quæ animi lætitiâ produunt, pro-  
hiberi solent. Loquantur Tempora, Aulæ, Curia atrata hu-  
jus moris indicia. v. Carpz. *Jurispr. Consist. l. 2. def. 157. n. 15.*  
*& eod. lib. def. 262. n. 2. & 263. n. 6.* ibi: Wir mögen Euch nicht  
bergen / daß Gott der Allmächtige / die weyland Durchlauch-  
tigste &c. durch ein seelig Sterbe- Stündlein von dieser  
Welt abgefördert. Wann sich dann anderst nicht gebüh-  
ren will / als daß Ihre Churfürstl. Gn. nicht allein allhier im  
Hoff-Lager betrauret werde / sondern auch die ganze Landschaft  
diesfalls ihr unterthänigstes Mitleiden spüren und sehen lasse;  
So begehren demnach an statt Sr. Churfürstl. Gnaden /  
Krafft dero an uns deswegen ergangenen Gnädigsten Be-  
fehls / wir hiermit / Ihr wollet bey allen und ieden Euch un-  
tergebenen Pastoribus und Diaconis Verordnung thun / daß &c.  
das Orgelschlagen und musciren in der Kircken / und sonsten  
alle andere Seiten- und Freuden- Spiele / bey Hochzeiten /  
Kindtauffen / und andern Zusammenkünfften / biß auff ander-  
weit anordnen eingestellet / und &c. beygefügte Form einer Erin-  
nerung bey allen Predigten von der Cankel denen Zuhörern  
öffentlich abgelesen werde &c.

## Th. XVI.

*III. Ob vi-  
ros in Rep.  
virtute  
claros.*

Verbo indigitâsse sufficiat, & ob viros belli & pacis tem-  
pore claros luctum publicè indictum fuisse. Sic David ob  
Abnerum à Joabo sicario interfectum lacrymavit; & ut po-  
pulus scissione vestimentorum luctum demonstraret, jussit,  
*2. Sam. 3. v. 31. & seq.* Et Jonathan interfectum jussu Davidis  
Israël planxit *2. Sam. 1. v. 17. & seq.* An & huc referemus  
Drusum Tiberii filium, ob cujus funus justitium longius in-  
hibitum? sic videtur, nam, ex contextu apparet, indictum  
fuisse.



fuisse iustitiam apud Suet. in vita Tib. c. 52. Moris enim fuit Rom. ob publ. luctum iustitiam indicere. v. Guth. de J. M. l. 3. c. 29. p. 584. Kirchm. de Fun. Rom. l. 4. c. 11. p. 415. uti & apud Aegyptios. Gyrald. de var. sepel. rit. c. 17.

Th. XVII.

Frequentior luctus publicus sponte susceptus, ob Reges & Principes Reipub. Ita Josiam Regem, Judæam totam & Jerusalem luxisse probatur 2. Paralip. 35. v. 24. & seq. imò Propheta Jeremias nãnias ad augendum luctum composuit, omnesque cantores & cantrices illas cantasse leguntur. Et cum Hiskias Rex dicitur in morte à populo honore affectus, quid aliud intelligendum, quàm plorasse illum, & luxisse? 2. Paralip. 32. v. 33. & ob Numam Pompilium publicum fuisse luctum testatur Dion. Halicarnass. l. 2. Regem Darium interfectum, falsò tamen persuasi, lugubri ululatu luxerunt Persæ. Curt. l. 4. c. 15. n. 29. Alexandri M. mors quanti mœroris & luctus causa? v. Idem l. 10. c. 5. Titi quoque Vespasiani obitus publicum omnibus extorsit mœrorem, de quo Suet. in ejus vita c. ult. Deinde ob eos, qui instar Regum habebant, & Rectores populi erant, publicè Judæos luxisse testes sunt Moyse & Aaron. de luctu quem ob hos populus luxit vid. Deut. 34. v. 8. & Num. 20. v. 29. Sic & totus Israël Samuelem legitur luxisse 1. Sam. 28. v. 3. Brutum matronæ depositis auro & purpurâ per annum ut parentem luxerunt. quod non quidem publico consilio, sed suo factum, ut scribit Liv. l. 2. c. 7. Dion. Halicarnass. l. 5. Ob strenuos etiam belli Duces, item prudentiâ consiliisque Rempub. juvantes, luctum publicè susceptum, varii testantur. Sic ob Judam Maccabæum 1. Maccab. 9. v. 20. & 21. ob Jonathan Judæ fratrem 1. Maccab. 13. v. 22. luxit populus Judæorum. Quid de Daniele Prophetâ, & quasi Vice-Rege Persarum dicamus, quem invidiâ Procerum ad mortem damnatum Rex Darius ipse luxit? Dan. 6. v. 18. & 20. Tacemus Germanicum, qui extinctus legitur ingenti luctu & circumjacentium populorum Tac. 2. Ann. 12. ita, ut morte ejus Romæ auditâ, ante Edictum

Luctus publicus sponte susceptus I. ob Reges seu Principes. quod varia confirmant exempla.

II. ob hos qui ad instar Principum populum luxerunt.

Exempla hoc illustrantia. III. ob viros in bello & pace claros.





Magistratûs, ante SCtum, sumto iustitio deserta fuerint forâ,  
 clausæ domus, passim silentia & gemitus, nihil compositum  
 fuerit in ostentationem. Et quanquam neque insignibus  
 lugentium abstinerent, altiùs animis mœrebant. Tac. *d. l. c.*  
 82. ut nec solatiis ullis inhiberi luctus publicus potuerit. v.  
 Svet. *in vita Calig. c. 6. jung. Tac. 3. Ann. 1. & seq.* Cicero quo-  
 que *in orat. post reditum in Senatu c. 30.* de se ipso ita inquit:  
*Nostra memoria Senatus ne in suis quidem periculis mutare ve-*  
*stem solebat: in meo periculo Senatus mutatâ veste fuit.* Man-  
 lio etiam in carcerem coniecto, magna pars plebis vestem mu-  
 tavit, & multi mortales capillum & barbam promiserunt.  
 Liv. *l. 6. c. 16.* vid. Jac. Guth. *de Jur. Man. l. 3. c. 26. p. 583. &*  
*seq.* Bello Neapolitano victis ad Carilianum Gallis à Ferdi-  
 nando Rege, Anno sup. sec. tertio, ob eorum, qui perierant,  
 multitudinem, & præcipuè ob tot nobilium virorum amissi-  
 onem, totum Gallia regnum lacrymis & planctibus repletum,  
 & regia universa ex vestitu & multis aliis doloris signis mœ-  
 rore & afflictatione plena conspecta. Guicciard. *l. 6.* De  
 Hibernorum luctu, ubi unus ex his qui in honoribus populi  
 versantur halitum extremum efflat, vid. Stanihurst. *in descr.*  
*Hibern. p. n. 229.* Ob mulieres quoque suâ prudentiâ Reipub.  
 utiles luctum publ. fuisse, testatur exemplum Heroïnæ illius  
 Judith *Judith. c. ult. v. 29.* Veritatem hujus historiæ desideras-  
 moris tamen fuisse exinde colligi potest.

Th. XIIX.

Ob cala-  
 mitatem  
 publicam  
 luctus in-  
 junctus.

Porro, ob calamitatem & tempora arummosa publi-  
 cum luctum indici & juberi posse ecquis dubitaverit, qui  
 potestatem Principis, cui in publicam salutem vigil oculus  
 esse debet, in dubium vocare ausus non fuerit? testatur hoc  
 apertè Rex Ninivitarum ad prædictum interitû per Prophetam  
 Jonam, publicum injungens luctum, de quo Jon. *c. 3. v. 5. & seqq.*  
 Quod uti pium: ita nec hodiè infrequens, de quo Carpz. *Jprud.*  
*Consist. l. 2. def. 157. n. 15.* ubi saltationem & musicam instrumen-  
 talem tempore luctûs publici, ex obitu forsan Principis aut  
 Magistratûs, aut calamitatis alterius rectè prohiberi dicit: &  
 dum



29  
dum pœnam exsolvi vult ob transgressionem, legem aliquam  
præcessisse necessum est: nec enim sine lege pœnam injunge-  
re licet, maximè in re adiaphorâ & indifferenti, *arg. l. 14. §.*  
*14. ff. de relig. & sumt. fun. c. Is qui 18. de Sentent. excommun. in*  
*6. Clarius hoc exprimit Carpzov. d. tract. l. 2. def. 262. n. 10.*  
ubi: *Redè inquit, faciunt Magistratus, tempore luctus & eru-*  
*mnarum prohibentes usum Musicae instrumentalis publico edicto*  
*vel proclamate &c.* Sicut & ex subjecto Rescripto patet, ubi  
inter alia ita: Uns ist unterschiedlichen vorbracht worden /  
welcher Gestalt unserm jüngschin publicirten Mandat zu  
wieder / bey diesen hoch gefährlichen Zeiten / die Spielleute  
und Lobe-Tänze in den Städten und uff denen Dörffern / in  
Wein- und Bier-Häusern / mit grossen Vergerniß gehalten  
werden. Wann wir denn über unsrer Anordnung zu halten  
gemeinet &c.

Th. XIX.

Spontè quoque ob calamitatem publicam luctus  
publicè ortus legitur apud Herodot. *l. 8.* Nuncio enim  
de Xerxis Regis classe à Græcis ad Salamina profligatâ, Su-  
fam perlato, ita Persæ consternati sunt, ut universi vestes  
dilaniaverint, & vociferatione ejulatuque irrequisito usi fu-  
erint. De Cannensi clade Romæ nunciatâ, hincque orto lu-  
ctu publico, v. Liv. *l. 22. c. 56.* item cum L. Posthumius (sic  
scribendum, non *Postumius*: Est enim à *posthumo*, non à *po-*  
*stumo*, sive *postimo*. vid. Joh. Freinshem. *Ind. in Flor. h. v.*) Con-  
sul, cum exercitu in Latina silvâ arborum ruinâ oppressus,  
quantum hinc sponte Romani luxerint luctum vid. Idem *l.*  
*23. c. 24. & seq.* De Carthaginensium luctu spontaneo ob ex-  
cidium urbis à Romanis contra datam fidem nunciatum,  
Flor. *l. 2. c. 15. n. 8.* ubi aptè usurpatur funebre verbum *com-*  
*plorare*, de quo Freinsh. *in d. Ind. h. v.* Judæorum ob spoliatio-  
nem templi ab Heliodoro committendam luctum deploran-  
dum v. 2. *Maccab. 3. v. 14. & seq.* Aliud exemplum vid. apud  
Herodian. *in Maximin. l. 7. c. 3. n. 14.* Plura hic addere jam  
non vacat.

Item spon-  
te suscepto

D 3

CAP.



# CAPUT QVARTUM.

Luctus apud varias gentes variis signis ostensus. Hæc vel naturalia vel adscititia, vel mixta. Singulorum species recensentur.

## THESIS I.

*Luctus in animo consistens sine signis externis ignoratur.* **L**uctus cum suprâ à nobis dictus sit dolor, seu ut Cic. *Tusc. Quest. 18.* vult, ægritudo; facile patet ad affectus animi illum referendum, adeoque suam in animo sedem habere. v. Hornej. *Phil. Mor. l. 2. c. 6. §. 2. & seq.* Ea autem, quæ in animo consistunt adeoque interna sunt, nobis dicuntur incognita, nisi signo aliquo externo nobis noscibili prodantur, unde actus animi internos non nisi ex signis externis cognosci posse ait Grot. *de J. B. & P. l. 2. c. 4. §. 3. & l. 2. c. 20. §. 18. & 29.* Quam autem difficile imò ferè impossibile sit, affectus animi, & inter hos luctum comprimere, intraque præcordia claudere, ut in nulla planè indicia erumpat, invitis quoque & sæpè non cogitantibus, ostendit M. Ant. Pius jam supra laudatus, quando de luctu M. Anton. Philosophi ob educatorem ait: *Permittite illi, ut homo sit, neq; enim Philosophia, aut imperium tollit affectus.* Capitolin, *in ejus vitâ cap. 6.* Unde & Plato. *de LL. lib. 12.* fieri mortuum jubere aut vetare absurdum censuit in LLatore; naturale enim credidit, mœrore affici, cum affectus etiam injussu Magistratûs erumpant.

## Th. II.

*Hæc apud varios varia.* Signa autem, quibus luctus prodatur, varia videre licet, gemitus scil. fletum, planctum, lamentationem, ejulationem, lessum, capitum nudationem, genarum rasionem, frontis percussione, comæ & barbæ submissionem, truncationem, imò & evul-





& evulsionem, corporis & pectoris tunctionem & laniationem, brachiorum vulnerationem, palmarum dilatationem & expansionem, manuum in cœlum sublationem, vestium & operimentorum mox mutationem, mox ejusdem prohibitionem, mox diloricationem seu scissuram, item atrum, album, purpureum colorem, vestem asperrimam, cilicium, funes, cineris seu pulveris insperionem, cadaveris mortui amplexationem & osculi fixationem, justitium, fascium inverforum prælationem, armorum inversionem, latorum & recreationum omnium vitationem, à publico abstentionem, conviviorum fugam, foci, ignis candelarum extinctionem &c. quæ singula ad luctum exprimendum, & extrinsecè designandum variè variis adhibita. Omnium Gentium mores ac ritus hoc loco perrepere non tam tædiosum, quàm forte difficile, ne dicamus, fermè impossibile foret. Quæcunque autem tandem sint, videntur illa esse vel naturalia à natura ipsa quasi expressa: quæ fermè apud omnes eadem, nisi quod apud moratiores & rectius edoctas Gentes moderatè adhibita: aut adscititia seu extrinsecùs assumpta, pro varia regionum, ac populorum varietate varia: vel quasi mixta.

aut natu-  
ralia, aut  
adscititia,  
aut mixta  
quasi.

Th. III.

Ad naturalia, seu quæ naturâ ferè omnibus eadem, referimus Gemitus & Fletum, quos non tam improbatos, quàm injunctos potiùs legimus, *Syrac. 37. v. 16. & seq.* Imò tam naturale est, & frequens ingemiscere & lacrymari, ut verbum de eo facere ferè supervacaneum. vid. *Garf. de Expens. c. 8. n. 11. p. 129.* Si per exempla ire luberet, non defutura essent, & in constantissimis, fortissimisque mortem calamitatemve cum suam, tum suorum lacrymis testantibus. Peti autem possunt ex iis, quæ sup. cap. dicta. Dicis: flere, plorare muliebrem indicat animum, & mulierum flere quasi proprium, quarum oculi ita condocefacti videntur, ut ad fletum non minùs quàm ad risum sint parati? flere quidem in se non statim animum in corpore virili prodit muliebrem, dummodo non excedatur modus, nec fletus in lamentationem & ejulationem

Ad natu-  
ralia re-  
ferri pos-  
sunt.  
1. Gemitus,  
fletus, plan-  
ctus, la-  
mentatio.  
in constan-  
tissimis  
quoque  
Obj.  
Resp.





*Lessus mu-*  
*lieribus in-*  
*terdictus*  
*apud Rom.*  
*Lessus*  
*quid?*

lationem, in muliebribus etiam taxandam, degeneret: hanc enim & Lex XII. Tab. prohibuit, quando lessum funeris ergo habere interdixit. Cic. 2. de LL. c. 59. hanc vocem veteres Interpretes non satis intellexisse dicit, dum suspicati fuerunt, lessum vestimenti funebris genus aliquod fuisse: Lælius verò dixisse esse quasi lugubrem ejulationem, quod & Plautus in *Truculento* indicat, Act. 4. Sc. 1.

*Stultus es*

*Qui facta infecta facere verbis*

*Postulas. Thetis quoque etiam*

*Lamentando lessum fecit filio.*

Originem hujus vocis liceat nobis cum priscorum temporum doctissimis ignorare. v. Kirchman. de Fun. Rom. l. 2. c. 6. p. 97. ubi pro gemitu, lamentis, & fœmineo ululatu in Plautino illo lessum positum dicit. vid. Garf. de Expens. c. 8. n. 11. p. m. 129.

*Præfica*  
*fletus prin-*  
*cipes*  
*apud Rom.*

Ad hunc lessum seu ululatum funebrem faciendum, conducebantur olim Præficæ apud Romanos, de quibus Kirchman. d. l. p. 94. & seq. Nec enim credebantur viri tam aptè fictâ lamentatione lugere posse mortuos. unde mulieres, quæ ut flerent oculos erudiere suos, ad hoc conducebantur. vid. Salmuth. ad Guid. Panciroll. de Reb. memorab. l. 1. c. 62. p. 340. in fine & seq. Rosin. Antiquit. Rom. l. 3. c. 32. p. 506. a. Quibuscum comparandæ veniunt lamentatrices fœminæ de quibus Jerem. 9. v. 17. vid. D. Geier. de Luct. Ebr. c. 5. §. 16. p. 74. it. §. 18. p. 80. & seqq. Apud Guthier. de Jure Man. l. 1. c. 15. p. 93. ex Luciano & Servio dicuntur Σωφισαὶ ἡγήτων, & planctus principes, non doloris.

*Quoadhas*  
*fletus &*  
*planctus*  
*ad mixta*  
*luctus in-*  
*dicia ferè*  
*referend.*

Parùm autem abest, quin ratione Præficarum hic mos adscititius dicendus. v. Camerar. hor. subseciv. cent. 3. cap. 68. pag. 368. Simile quid apud Hibernos veteres observari dicit Richard. Stanhurst. in descr. Hibern. pag. 229. quando ita inquit: *Si quis inter Hibernicos præsertim summo loco natus à vitâ discedit, incredibile est, quanto & quàm fœmineo fletu omnia loca circumsonare soleant. Atque ut lugubrem lamentationem rationis temperamento modificatam non magnoperè reprehendam, tamen perversum anicularum morem non possum non liberius accusare.*



*cusare. Nam ut primò unus ex his, qui in honoribus populi versantur, halitum extremum efflat, videre licet complures mulieres per vicos & campos cursare, lupino ululantiq; clamore omnium aures obtundere. At verò ubi templum in quo mortuo parentatur, ingrediuntur, quanto ejulatu sacram complent adem, non facile dixerim. Buccis inflatis exclamant, perquam flebiliter voces eliciunt &c. Ægyptii quoque ex more, in obitu Regis septuaginta duos dies ejulatibus luctum renovant teste Alex. ab Alex. Gen. dier. l. 3. c. 7. fol. 128. b. In Luzelburgensi Ducatu nonnullis in locis, ex Hispanorum moribus, fletum & ejulationem more gentis sic introductam vid. apud Camerar. hor. subsec. centur. 3. c. 98. p. 368. Licet autem natura planctum & lamentationem, etiam invitis nobis, elicere videatur, rectâ tamen ratione hi affectus moderandi & refrenandi sunt, ne in malum abeant, quò respicit Paul. Apost. 1. ad Thessal. 4. vers. 13.*

Th. IV.

Inter naturalia indicia numeramus etiam palmarum dilatationem, expansionem, & manuum ad cœlum sublationem: quam maximè in luctu acerbiori & graviori usitatam ferè apud omnes videre est, ut quotidiana experientia testimonia ex historiis petita, ceu supervacanea repudiet. Ad adscititia tamen signa eam referri dixeris apud Hibernos, v. Stanihurst. d. l. ubi ita addit: Palmas dilatant, manus in cœlum extollunt; sc. hi, quibus mos populi magis quam ægritudo animi luctum extorquet.

*II. Palmarum dilatatio & expansio.*

Th. V.

Naturalibus item accensemus pectoris & femorum percussione. Hæc enim nisi ex more Gentis recepta, ceu de fœminis Ægyptiacis Herodot. in Euterpe teste D. Geier. de Luct. Ebr. c. 16. §. 1. p. 311. in fin. & seq. Alexand. ab Alex. Gen. dier. l. 3. c. 7. (Sub pectore enim sedes quasi doloris extrinsecè demonstrati, ceu in pœnitente Publicano Luc. 18. v. 13. apparet,) omnibus ferè graviter dolentibus usitata, v. eleg. D. Geier d. tr. c. 16. p. 311. & seq. item Kirchm. de Fun. Rom. l. 2. c. 11. p. 124. seq.

*III. Pectoris & femorum percussio.*

E

Th. VI.





IV. Barba  
& capilla-  
rū evulsio.

Barbæ & capillorum evulsionem ad signa naturalia lu-  
ctūs non incommodè referas. Sic Esther Regina, de quâ in  
addit. *Esther* c. 3. v. 2. legitur, quod omnia loca, in quibus an-  
tea lætari consueverat, laceratis suis crinibus compleverit. de  
hâc Estheræ in capillos inclementiâ v. Menoch. *de Repub. Ebr.*  
l. 8. c. 6. q. 8. Paria fermè de se commemorat Esra. c. 9. v. 3. cum  
audivissem, inquit, hoc (sc. connubia Israëlitarum cum Gentili-  
bus) laceravi vestem meam & pallium meum, & evulsi de capil-  
lis capitis mei, barbaq; mee, ac consedi stupens. Ad Profana  
exempla referri potest locus apud Virg. l. 12. *Aeneid.* ubi ob  
mortem matris de Laviniâ ita canit:

-- -- *Primam manu flavos Lavinia crines*

*Et roseas laniata genas.*

Item Curt. l. 10. c. 5. n. 19. ubi mater Darii Sisygambis, auditâ  
morte Alexandri laceratis crinibus humi corpus abjicit. Ita  
milites, propinquorum, amicorumq; morte cognitâ, comas  
discerpisse leguntur apud Dion. l. 48. Alia exempla vid. apud  
Ravanell. in voce *Capillus*, fol. 230. quamvis ex more adsciti-  
tio variis gentibus hæc evulsio usitata fuerit, unde suo modo,  
ad mixta indicia referri potest. De moribus variarum genti-  
um vid. Alexand. ab Alex. *Gen. dier.* l. 3. c. 7.

Th. VII.

V. Humi-  
cubatio.

Huc referri potest Homicubatio seu corporis in terram pro-  
jectio; sic David calamitatem lugens ob mortem filii ex Bath-  
sebâ nati nunciatam humi prostratus jacuit. 2. *Sam.* 12. v. 16 &  
20. Sic & mater Darii Sisygambis, ob mortem Alexandri M.  
humi corpus abjecisse legitur apud Curt. l. c. Testatur & de eo  
Guth. *de J. M.* l. 1. c. 14. p. 84. Quamvis & hæc homicubatio ad  
adscititia & sic ad mixta signa suo modo referri queat, de quâ  
vid. D. Geier *d. tr.* c. 18. & c. 19. §. 1. p. 345. Hæc tamen & simi-  
lia impatientis animi signa, & excessus in luctu sæpè indicia  
sunt, quæ improbanda magis, quàm approbanda. Taxat &  
ea quasi Gentilismum redolentia Paul. Apost. 1. *ad Thessal.* 4.  
& in spem resurrectionis peccare dicit nimium ita lugentes.

Quod



Quod si ob nobis carissimos sic lugere vetitū, quāto magis ob  
aliā calamitatem? Minimè itaq; laudandus Imp. Augustus, qui  
eò infaniæ progressus legitur, ut mœstus ob cladem Roman. legi-  
onum caput interdum foribus illiserit. Sueton. *in ejus vit. c. 23.*

Th. VIII.

Lætorum & recreationum omnium fuga & averfatio.  
Quid enim magis naturale, quā in dolore & luctu quasi obli-  
visci omnium quæ olim jucunda, eaqve quodammodo si non  
horrere, certè nauseare? Et licet varia hîc exempla Gentium  
produci possent, experientia quotidiana hîc mille testis suffi-  
ciat. A publico quoqve abstentio itidem huc referri potest.  
De utroqve tamen hoc indicio, cum Gentibus nonnullis ad-  
scititium quoqve & sic mixtum, infra pluribus, v. th. 24.

Th. IX.

Cum autem in dolore & luctu omnia præter mœrem fie-  
ri ament teste Lips. 3. *Annal. Tacit. u. 1.* variè apud varias gen-  
tes hoc observare licet, unde cum naturalia & communia  
quasi alia: adscititia verò indicia alia dixerimus, per quæ ex  
more magis, quā naturâ, hujus vel illius gentis dolor exferi-  
tur; ad hæc referimus Genarum rasionem, apud Græcos o-  
lim usitatam. Kirchm. *de F. R. l. 2. c. 11. p. 125. & seq.* Alexand.  
ab Alex. *Gen. dser. l. 3. c. 7. fol. 129. b.* & ab his ad Rom. trans-  
latam, post tamen legibus XII. Tabul. vetitam. Sic enim in  
his legitur: *Mulieres genas ne radunto.* Ubi radere non si-  
gnificat idem, quod forficulâ vel novaculâ refecare; quasi  
ideò prohibita fuerit hæc muliebrium genarum rasura, ne di-  
uturno radendi usu succrescentibus pilis, à naturâ non datis,  
fœminæ sub ementito virilis oris honore fallerent; sed idem  
est, quod cruentare, lacerare; sic enim Ovid. *l. 3. Trist. eleg. 3.*  
canit: *Parce tamen lacerare genas.*

& Petron'us Arbiter *in Satyr. de Matrona Ephesina* ait: *Faciem  
unguibus sectam.* Ut idem sit quod carpere. vid. Jac Guth.  
*d. tr. l. 1. c. 15. p. 84.* Kirchm. *d. tr. l. 2. c. 11. p. 127.* Rævard. *ad  
LL. XII. Tab. c. 15. p. 65.* Salm. *ad Panciroll. de Reb. memorab. l.  
1. tit. 62. p. 340. & seq.* Apud Ethnicos sc. moris fuit, ut ante  
rogos humanus sanguis, propitiandi animas defunctorum,

E 2

vel

VI.

Lætorum  
& publici  
averfatio.

Adscititia  
luctus in-  
dicia. Huc  
referri  
possunt.  
I. Genarū  
rasio vari-  
is gentibus  
usitata.  
Radere  
quid.





vel honorandi cineres gratia, effunderetur, vel captivorum, vel gladiatorum. v. Lips. *Saturn. Sermon. l. 1. c. 8. p. m. 29. & seq.* Quensted. *de Sepult. vet. c. 13. p. 300.* Quorum si copia fortè non fuisset, laniantes genas suam effundebant cruorem lugentes, ut sic demùm satisfieret inferis sanguinis conspectu. v. Rosin. *Antiqu. Rom. l. 5. c. 39. p. 994. D. & E.* Apud Ebræos quoque ex prohibitione quæ habetur *Lev. 21. v. 5.* eam olim usurpatam fuisse probatur. v. fuscè & eruditè D. Geier. *d. tr. c. 10. §. 2.*

II. aliarum corporis partium sauciatio.

Alia item Gentes aurem, alia pectus, alia lacertos, alia frontem, alia nasum, alia sinistram manum fauciarunt, vel quasi furore correptæ, quas partes corporis prehendere potuerunt, dentibus momorderunt. vid. D. Geier. *d. l. p. 230.* Alexand. ab Alex. *d. l. Kirchn. d. l.*

## Th. X.

Insigne luctus indicium adscititium apud varias Gentes observatum fuit in capillo. hic enim ceu non minimus humani capitis decor. 2. *Sam. 14. v. 25. & 1. ad Timoth. 2. v. 9. item 1. Pet. 3. v. 3. Cantic. 4. v. 1. & 3.* uti tempore sereno atque prospero colitur: sic è contrario, afflictionis tempore & in luctu, vel incultus relinquitur, nutritur, raditur, aut truncatur. ceu plurimis Gentibus in more positum. unde luctus indicium Coma inordinata. nam frequentius fermè nihil, quàm comam seu capillitium hæctenus ornatè compositum, nunc absqve ordine aut ornamento relinquere, quo facit illud Ovid. 2. *Fastor. circa fin.*

III. Coma inordinata.

--- --- passis sedet illa capillis,

Ut solet ad nati mater itura rogum.

Maximè autem hoc sæminis, quibus cultus capillitii familiaris, usitatum fuit, v. Kirchn. *d. tr. l. 2. c. 12. p. 129.*

## Th. XI.

IV. Nutrita, rasa truncata evulsa apud gentes varias.

Porro & submissio seu nutritio, imò & rasio ut & truncatio. vid. Alexand. ab Alex. *Gen. dier. l. 3. c. 7. f. 128.* ita ut sapius in eadem Gente comam alere & submittere; item illam tondere & truncare tempore luctus, observare detur. Quod ne quem turbet, notanda sunt verba Gregorii *l. 2. Moral. c. 17.*



97  
c. 17. quisquis, inquit, speciem corporis sui capillos nutriendo ser-  
vabat, eos tempore afflictionis abscidit. & rursus, qui tranquilli-  
tatis tempore capillos abscidit, eos in ostensione afflictionis nutri-  
vit. Quod confirmat variis adductis Gentium exemplis.  
Kirchm. d. tr. l. 2. c. 14. ubi circa finem ita ait: quod vetera  
Scriptorum monumenta interdum promissam in luctu comam, in-  
terdum verò tonsam agnoscant, invicem secum pugnare existi-  
mandum non est: sed hec variationis istius causâ, quod singulis  
ferè annis immutari soleant affectiones hominum & consuetudi-  
nes in modum estuarii, augescendo simul & decrescendo: ut tace-  
am, quod non solum qualibet natio & Gens: sed & privatus quis-  
que ferè peculiare suum studium sectatus sit, ita, ut qui comam  
sive barbam alere solebat, ingruente luctu eam radi curave-  
rit: & contra cui capilli tonsi erant, is luctus tempore eos cresce-  
re, augeriq; permiserit; quod porro ex Herodoto corrobo-  
rat. De Ebræorum moribus circa submissionem vel tonsi-  
onem v. eleg. D. Geier d. tr. c. 8. Nec Romanis mos circa sub-  
missionem capilli inusitatus, ita, ut per illam luctum non  
tantum ob mortuos, sed & aliam calamitatem tum propriam,  
tum alienam testati fuerint. Luculentum testimonium  
nobis exhibet Venulejus Jctus in l. 39. ff. de Injur. quan-  
do ob accusationem nemini vestem sordidam induere, nec ca-  
pillum submittere, permitti dicit, nisi ita conjunctus sit affini-  
tate, ut invitus in reum testimonium dicere cogi nequeat.  
Dependere hoc inquit Theodoricus in Colleg. Crim. c. 2. aph.  
16. p. 223. n. 4. ex antiquis Roman. moribus, qui si capitalis cri-  
minis rei perhibebantur, citati progrediebantur non togati  
nec paludati, sed pullati & vestitu lugubri, unâ cum gente  
vel cognatione aut familiâ suâ inducti, nec ante mutabant  
vestitum, aut barbam radebant, adde, & capillum præscin-  
debant, vel lavabant, quàm abrogato judicio & nomine reo-  
rum sublato. jung. Jac. Rævard. l. 3. Var. c. 6. p. 599. Cujac. 6. Obs. 5.  
Similè quid obtinuit apud Ebræos, ubi homicidæ perpetuus  
luctus injunctus fuit, interque alia, ne vestem indusiumque  
lavet, & ut barbæ capitisque pilos alat, D. Geier. d. c. §. 2.



V. Barba  
& VI. Superciliorū  
rasio &  
submissio,  
item depi-  
latio.

Barbam  
vel comam  
evellere  
aut invito  
tondere  
alicui, in-  
juriosum.

Quod de capillis dictum, non minus obtinebat in barbā, nam & hujus rasio vel submissio inter luctūs signa assumpta. v. supra laudatos Auctores. Et supercilia eandem apud nonnullas Gentes experiebantur sortem. v. Alex. ab Alex. d. l. fol. 128. B. Ex nimia impatientiā & desperato quasi dolore evulsio capillorum & barbæ sæpius observata. Sic laceratas comas à sceminis auditā morte Alex. M. matris Darii exemplum demonstrat apud Curt. l. 10. c. 5. n. 19. & Præficas tale quid factitare solitas passim historiæ demonstrant. Nec viri sibi ab hisce ineptiis potiùs, quàm vero temperarunt luctu, qui semper ratione moderatus esse debet. v. Kirchm. d. tr. l. 2. c. 12. p. 130. & seq. Geier. d. tr. c. 8. §. 3. Imò morem hunc communem non solum Asiaticis Gentibus sed & Europæis fuisse testatur Freinshem. Comment. in Curt. l. 3. c. II. n. 25. ad verba, *laceratis crinibus*. Sic & apud Fessanos in Africā hunc morem vigere tradit Joh. Leo Africanus in *Descr. Africæ part. 1. p. 321*. De hac evulsione crinium seu depilatione plura vid. apud D. Geier. d. tr. c. 8. §. 3. p. 198. & seq. vid. sup. th. 6. Barbæ autem evulsionem dolorem monstrasse non exiguum, vel inde palam est, quod non pro levi, sed majori injuriā habitum fuerit, crines aut barbam invito expilasse aut totondisse. 2. Sam. 10. v. 4. & seqq. pr. vers. si quis aliquem 2. Feud. 27. unde docuit Bald. in l. reos C. de Accus. n. 6. barbam in homine membrum esse, & ob id incidentem barbam teneri pœnâ, quâ plecti solet is, qui membrum alicui abscidit. Menoch. de A. J. Q. Cent. 4. cas. 392. n. 32. Imò pœnam, & sic dolorem monstrasse tonsionem, sanguinis seu farciminum esus ab Imp. Leone sub pœnâ tonsionis cutetenus factæ severè prohibitus ostendit, Nov. Leon. 85. Simile quid observatur apud Longobardos, dolorem per tonsionem declarantes. 2. Feud. 27. §. fin. ibique Gothofr. lit. e. ubi pro *tundatur*, legendum putat: *tondeatur*; pro more variarum Gentium ibi relatarum. v. Salm. ad Panciroll, de Reb. Mem. part. 1. tit. 44. p. 193. item Phil.



Phil. Camerar. *Hor. Subces. cent. 1. c. 36. p. 167. & seq.* quod subodorati fuisse videntur Ecclesiastici in Gallia tempore Francisci I. Regis Gallia, qui contra edictum de razione barbarum, has ingenti pecunia redemerunt, & sic callido instituto Francisci de pecunia a sacrificulis facilius extorquenda, satisfecerunt. vid. Idem *cent. 3. d. tr. c. 96. p. 359. & seq.*

Th. XIII.

Imò insaniam hanc eo progressam animadvertimus, ut VII. Equorum tonsio & equos totonderint, ceu apud Plutarch. in vitâ Alexandri M. legitur, qui ob mortem Hephæstionis iussit in signum maximi apud Persas doloris equos tonderi. conf. Kirchm. *d. tr. l. 2. c. 14. circa fin.* Apud Græcos quoque Imperatore aut Duce fato functo, equi tondebantur, Alexand. ab Alex. *Gen. dier. l. 3. c. 7. fol. 131. a.* Thessalorum eundem morem scribit Plutarch. *in vitâ Pelopida.* vid. Petr. Gregor. Tholosan. *Synt. jur. univ. l. 2. c. 14. n. 10. p. 37. a.*

XIV.

Ad adscititia signa pertinere quoque videtur Deturpatione capitis seu capillitii, item & faciei, pulvere & cinere, de quâ D. Geier. *d. tr. c. 9. p. 229. & seq.* Kirchm. *d. tr. l. 2. c. 12. p. 131.* item luto, ceu de Ægyptiis testatur Alexand. ab Alex. *d. tr. l. 3. c. 7. f. 128. b.* quod & Fessanis in Africâ usitatum, v. Joh. Leo. African. *descr. Afr. part. 1. p. 329.* Rationem hujus deturpationis vid. apud Geier *d. l.* item apud Alexand. ab Alex. *d. l.*

VIII. Oris & capillitii deturpatione.

Th. XV.

Huc referimus vestimenta, in quibus variè luctus indicium adscititium cernitur, & (1.) quidem Laceratio seu scissura, de quâ vid. Alex. ab Alex. *d. l.* Kirchm. *d. tr. l. 2. c. 17. p. 157.* D. Geier. *d. tr. c. 22. f. 9. p. 229.* jung. Freinsh. *ad Curt. l. 3. c. 11. n. 25.* ad verba *lacerat. crimib. abscissaq. veste.* Quamvis hæc scissio sæpius quoque indignationem designaverit, v. Freinsh. & Geier *dd. ll.* (2.) Prohibita mutatio: sic enim ex Buxtorf. *Synag. Judaic. c. 35. p. 433.* de Judæis dicitur: *Judæi moderni pullis vestibus in luctu non utuntur, sed vestes illas, quibus*

Investimenti cernitur. IX. 1. Laceratio: X. 2. Prohibita mutatio.





bus obitibus tempore quis indutus fuit, nec ullas alias toto luctus tempore, per integrum sc. annum gestare tenetur. Quenstāt de Sep. Vet. c. 6. p. 151. Ut sc. vel squalor ex non mutatā veste contractus, luctum indicet. Sic etiam apud Roman. squalor & sordities tristitiæ & luctus signum, ceu ex l. 30. de injur. apparet. v. Lips. *Elect. lib. 1. c. 13. p. 540.* (3.) Mutatio vel in muliebrem, ut de Lyciis memorat V. Maxim. l. 2. c. 6. quod luctu incidente vestem muliebrem induerint viri, quo deformitate cultus commoti maturius projicerent stultum dolorem. Quem morem & apud Fessanos in Africā dicit Joh. Leo Afric. d. l. p. 329. ceu è contrario apud Romanos fœminæ septem illis diebus qui funeris elationem præcedebant domi virili togā, quæ Ricinium vocabatur, usæ leguntur. vid. Jac. Rævard. ad LL. XII. Tab. c. 15. p. m. 64. Conrad. Rittershus. *Dodecadelt. class. 1. c. 4. p. 24. Kirchn. de fun. Rom. l. 2. c. 17. p. 154. Lips. Epistol. Quest. l. 1. ep. 7. p. 223.* vel in saccum, cilicium & quæ aliàs vilissima haberi solent vestimentorum, vel tegumentorum genera, de quo more apud Ebr. v. D. Geier *sepè d. tr. c. 22. §. 4. & seq.* sic viliori vestimento apud Gallos usæ legitur Regina apud Gramond. *hist. gall. l. 1. p. 5. sequebatur*, inquit, *mater corpus fusco ex lana indumento, caput velamine amicta in talos deciduo.* In pellibus olim Romanos luxisse recenset Rævard. *Conjectan. l. 1. c. 20. p. 36. Cæi. Rodig. lect. antiq. l. 27. c. 14.* Apud Chineses quoq; liberi in luctu parentum primis mensibus cannabinā veste asperrimā induuntur. v. Trigaut. *descr. Chin. c. 7. p. 178.* Fessanis in Africā eundem asserit morem Joh. Leo d. l. Imò mutatione quadam ap. veteres cognitum luctum constat ex exemplo viduæ Thamar. *Gen. c. 38. v. 12. & seqq.* De mutatione vestium apud Rom. tempore luctus v. Lips. ad *Tacit. l. 2. Ann. n. 208. Kirchn. d. tr. l. 2. c. 17.* vocabant hæc vestimenta quibus in luctu utebantur *Mortualia*, frequentius tamen, *Lugubria*. Senec. *Consol. ad Helv. c. 16. Nōsti quasdam quæ amissis filiis imposita lugubria nunquam exuerunt jung. l. 8. ff. de his qui not. item tristes habitus. l. 15. C. eod. Eccui in Germaniā, & extra hanc alibi fortè ignotus mos, mutandi tempore*

XI. 3. Mutatio: vel contra morem sexui usitatum, fœmineorum in virilia, & contra.

XII. 4. vel usitatorū & pretiosorum in vilissima.

XIII. 5. aut alia luctū ostendentia.



pore luctus consueta vestimenta in pallam pullam, quæ imos  
 ferire pedes, imò pulvereæ & lutulenta sæpè trahi solet, nî  
 huic apud honoratiorès per servum occurratur incommodo,  
 qua viri luctum demonstrare solent? Vernaculâ vocamus  
 Trauer-Mantel. Sic & Romani in luctu olim togâ pullâ in-  
 duti teste Cicer. in *Vatin.* Sequiorem quoque sexum mutati-  
 one usitatorum aliàs operimentorum, variè pro varietate lo-  
 corum, ut plurimum stolâ muliebri luctum ostendere, nemo  
 experientiâ quotidianâ edoctus dubitat. Et Lacedæmonios  
 in dolore mutâsse vestimenta, testis est Valer. Max. l. 4. c. 6.  
 n. 3. *Extern.* alias hic coacervare gentes lubenter super-  
 sedemus. Alius etiam color vestimentorum lugentes ab ali-  
 is discrevit olim. discernit & hodiè. Fuit autem apud plures  
 color lugubris vel Ater, vel Albus. Judæos atro incessisse  
 colore putant plurimi, v. Quenst. d. tr. c. 6. p. 151. quamvis  
 D. Geier de eo non adeò accuratè constare asserat d. c. 22. §. 5.  
 Apud Turcas hic color niger extremæ calamitatis & ærumnæ  
 signum. v. Busbequ. *Legat. Turc. epist. 1. p. m. 88.* quibus, nisi  
 ob Imperatoris mortem, habitus lugubris nullus. Dum enim  
 funeris pompa ducitur, capitis involucrium pullâ ex trans-  
 verso taniâ circumdant: quam eo sepulto confestim de-  
 trahunt. Mulieres etiam viduæ nullo ibidem habitu discer-  
 nuntur, teste Joh. Baptista Montalbano, *comment. Rer. Turc.*  
 p. 48. Ægyptii quoque hunc colorem ut infaustum & lugu-  
 brem damnarunt, à quibus lugubria coloris nigri ortum tra-  
 xisse apud Romanos, dicit Kirchm. d. tr. l. 2. c. 17. p. 151. quibus uti-  
 bilibus color lætitiæ & fausti: sic ater seu niger tristi-  
 tiæ & funesti signum. v. Dempster. in *Paralip. ad Rosin. Antiqu. Rom. l. 4. c.*  
*9. p. 608.* jung. Lips. *Elect. d. l. p. 539.* Busbequ. d. l. & album  
 colorem lucem & pacem denotare scribit D. Ern. Gockel Con-  
 siliar. Reip. Patriæ Excell. de *Europ. Regib. c. 1. §. 108. p. 146.* Hinc  
 & Paul. Jæus l. 1. *Sentent. c. ult. qui luget, inquit, abstinere de-*  
*bet à conviviis, ornamentis & albâ veste.* Nec minùs Græcis  
 ater color luctus indicium, Kirchm. d. l. p. 155. in f. quamvis  
 utrique sexui olim apud Rom. usitatus: femininus tamen

XIV. 6. Co-  
 lor etiam  
 vestimen-  
 torum lu-  
 gubris.  
 ater & al-  
 bus, varie-  
 tas tamen  
 in gente &  
 sexu.

F. post





post album adhibuit, de quo v. Herodian. *Lib. 4. c. 2. n. 5.* unde uterque color & albus & niger à Romanis in luctu frequens; distincto tamen tempore. *Variatum sc. hâc in re apud Rom. fuit* (sunt verba Lipsi. *ad Tacit. 2. Annal. in excurs. lit. M.*) *priscis temporibus, dum Respublica vixit & libertas, nigra vestes etiam foeminis in luctu: id docent ii Scriptores, qui omnes consentiunt in narratione moris, qui illo evo. At sub Imp. Republica extinctâ in usum venerunt lugubrium alba. Docent ii alterius classis testes, qui non id referunt, nisi de temporibus secutis. Hoc nisi tenes, nunquam erit, ut solvas eum nodum &c.* hâc Lipsius, frustra dissentiente cum Hieron. Magio Franc. de *Amaya Obs. jur. l. 1. c. 2. n. fin.* qui mulieribus Romanis albas vestes usitatas negat. De Severi Imp. filiis quidem legitur, purpuratos urnam cum patriis reliquiis gestantes populum universum laureatum excepisse, Herodian. *l. 4. c. 1. n. 4. & 5.* At videtur id ideò factum, quod infausti ominis fuisset in veste lugubri imperium auspiciari, uti conjicit Jac. Guth. *de J. M. l. 3. c. 28. in fine.* Ater hic color & apud Japonenses pro funesto habetur. v. Varen. *in descr. Japon. part. 1. p. 204.* uti sermè & hodiè apud plurimas Gentes utriusque sexui lugubris. in multis tamen locis æquè ac olim apud Rom. sexui præstantiori ater seu niger: sequiori albus in usu, quod præter experientiam quotidianam testatur Bernegg. *Quest. Misc. 143.* ubi & rationem hujus moris adducit. Diximus antea apud plurimas: non tamen omnes. Sic Gallia Regibus non niger seu pullus, sed violaceus color in luctu usitatus, teste Gramond. *histor. Gall. l. 1. pag. 5.* ibi: *Ibat Rex equo albo sublimis, habitu violaceo* (hæc Regibus Gallis in luctu vestis) Ludovicus tamen XII. defunctâ conjugè atratus incessit. Sic enim Hilar. de Coste *tom. 1. p. 1.* *Il prit, inquit, contre la coutume des Roys de France de ducil noir &c.* Non tamen idem color Regina Gallia funestus, sed vivo adhuc Rege couleur tannée Râstens braun Farb adhibetur, Fuscum eum vocat Gramond. *d. l.* Post Regum autem mortem vestitu lugubri albo utuntur vid. Bernard. de Girard. Sr. du Haillan. *de l'Etat des affaires de France*

*Violaceus.*

*Fuscus.*



France lib. 3. Quamvis & mortuo Rege fuscum illum colorem Reginae usitatum testetur Gramond. d. l. ibi : *Sequebatur mater, Regina sc., corpus fusco ex lana indumento, caput & amicta.* Angliæ quoque Regibus eundem quem Gallia colore lugubrem esse, fertur. Apud Japonenses etiam, quos antea retulimus, Cineraceus color quoque pro lugubri & funesto habetur, teste Varen. d. l. p. 250. Cardinalibus seu Purpuratis Pontificis, tempore luctus vel minimum nigri portare pro indecoro habetur, tam in apparatu vestium, quam ullius alterius rei ; sed pro lugubri habent colorem Purpureum, quem vulgariter Pavonazzo appellant, vid. Spreng. *Instit. Jur. publ. l. 2. c. 35. p. 310.* Et Romanis quoque sceminis (licet Ovid. l. 1. *Trist. eleg. 1. pr.* de purpureo colore canat :

Cinera-  
ceus.

Purpureus

*Non est conveniens, luctibus ille color ;*)

Purpureum colorem pro parte usitatum fuisse, septem sc. illis diebus, qui funeris elationem præcedebant, confirmant Ricinia illis usitata, seu togæ viriles prætextæ clavo purpureo, ex Festo Gothofr. *in not. ad Cic. lib. 2. de LL. c. 59. lit. S.* aut, ut Cic. d. l. *vinculis purpuræ.* v. Rævard. *ad LL. XII. Tab. c. 15. p. m. 65.* Lips. *Epistol. Quæst. l. 1. Ep. 7. p. m. 223.* Rosin. *Ant. Rom. l. 8. c. 6. p. 1250.* Rittershus. *Dodecad. class. 1. c. 4. p. m. 24.* Ipsa quidem Ricinia nigra fuerunt, vocabantur quoque togæ anthracinæ ; anthracinum autem idem veteribus quod nigrum. Apud Rom. quoque olim in funere Adolescentum Cœruleus color usitatus. v. Cœl. Rhodigin. *Antiqu. l. 17. c. 21.* Alexand. ab Alex. *Dier. Gen. l. 3. c. 7. f. 130.* Jac. Guth. *de J. M. l. 3. c. 28. p. 582.* Uti & apud Persas cœruleus in luctu color frequentatur, æquè ut apud Nostrates ater, Olear. *in Itin. Pers. fol. 935.* Apud alios Phæus color fumebatur in luctu ; est autem phæus color, qui inter album & nigrum habetur, teste Alex. ab Alex. d. l.

Ceruleus.

Phæus.

XVI.

Inter signa adscititia numeramus quoque Funes. Hi enim in luctu ob calamitatem publicam à Syris assumpti leguntur 1. *Reg. 20. v. 31. & seq. Ponamus,* ibi dicitur, *saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad*

XV. Funes

F 2

Regem





*Regem Israël.* Non planè ab similem lugendi ritum exhibent  
Chinenses, qui primis luctus mensibus fune propè nautico  
renes cingunt, ad eum modum, quo Patres è D. Francisci  
familia solent, Trigaut. *in descript. Chin. c. 7. p. m. 178.* An  
*XVI. fascia* cum hiscè comparandæ sint pepla aut fasciæ sericæ, quibus  
*& pepla.* atris hodiè nostrates in luctu utuntur, & partim ex pileis, pat-  
tè super humeros dependent, in medio relinquimus. Cer-  
tum tamen est, fascias tales sericas forsan in totâ Germaniâ,  
item & alibi inter Europæos luctus indicium. v. *Ordin. Pro-  
vincial. Saxo-Goth. part. 3. n. 29. tit. von Begräbnüssen / §. 1. ibi:  
Binden und Schleyer. Carpz. P. 1. C. 28. def. 41. n. 2.*

Th. XVII.

*XVII. Vela-  
tio capitis:  
item barba*

Adscititiis signis adjicimus etiam Velationem capitis: item  
& barbæ, de quo ritu apud Ebr. v. D. Geier. *d. tr. c. 11. §. 4.  
& 5.* Persarum morem, caput in luctu obvelare, confirmat  
Curt. *l. 4. c. 10. n. 34.* ubi Darius Rex conjugis mortem lugens  
obvelato capite ipsam flevisse dicitur. Romanorum filii iti-  
dem in luctu velatis; filiaè verò nudis capitibus, passoque in  
funere incedebant crine. v. Plutarch. *Quest. Rom. problem. 14.*  
Lips. *de Amphith. c. 19.* v. Kirchm. *de Fun. Rom. l. 2. c. 16.* Lace-  
dæmoniis hanc velationem in luctu & dolore usitatam testa-  
tur Val. Max. *l. 4. c. 6. n. 3. Extern.* Hæc velatio seu obnubio  
in scæminis Romanis, cum ad virum deducebatur obtinebat  
quoque ob verecundiam; unde nubere idem quod obnubere  
seu velare, & operire significat. v. Rosin. *Ant. Rom. l. 5. c. 37.  
p. 959. E. Barn. Brisson. de Ritu Nupt. Andr. Tiraqu. LL. con-  
nub. l. 3. voc. flammæum.* Imò apud plures Gentes maximè  
Orientales scæmineo sexui lege quasi injunctum obvelare ca-  
put v. Kirchm. *d. tr. l. 2. c. 16.* ob ignominiam hanc etiam usitatam  
velationem vid. ap. laud. D. Geier *d. l. §. 3.* Item apud Rom. ut  
in parricidii reis patet ex LL. XII. Tabb. *tab. 7. ibiq. Gothofred.*  
A moribus illis in luctu non videntur abire scæminæ linteis vel  
peplis aut pallio singulariter ad obnubendum plicato: & viri  
alibi promiscuè, alibi honoratiorum funus prosequendo faciem  
velantes. Rationem hujus velationis v. apud D. Geier. *d. tr. c. 11.  
§. 7. p. 263.* Quid



## Th. XIII.

Quid dicamus de Ornamentorum depositione? hanc uti apud Ebræos *Exod. 33. v. 4.* sic & ap. Rom. usitatam testatur Liv. *l. 34. c. 7.* quando ita ait: *Quid aliud in luctu, quam purpuram atq; aurum deponunt? quid cum eluxerunt? sumunt.* Imò lege injunctum fuit tempore luctûs ab ornamentis abstinere. v. Paul. *Sent. l. 1. tit. ult. qui luget, inquit, abstinere debet à conviviis, ornamentis &c.* ibique Cujac. *ubi aurum, ait, in luctu & purpura & monilia deponenda sunt, & sumenda vestis atra;* Illum morem apud Græcos usitatum fuisse dicit Kirchm. *de F. R. l. 2. c. 17. p. 149. & seq.* Imò apud Germanos & moratioris Gentes fermè ubivis usitatum animadvertimus. Huc referimus etiam aureorum annulorum in ferreos mutationem. Sic enim Sueton. mortuo Augusto quosdam censuisse tradit, exsequiarum die ponendos aureos annulos, & ferreos sumendos *in vitâ Aug. c. 100.*

## Th. XIX.

In Insignibus viduarum mutationem tempore luctûs & viduitatis videre licet apud Gallos. Sic enim de viduis Francisc. Claudius Menestrierius *in libello, cui titulus: Abbrégé methodique de l'art de blason, circ. fin. les veuves mettent une cordeliere au tour de l'escu, de leurs armes.* h. e. viduæ funiculum circumdant suis armis seu insignibus, seu scuto suorum insignium. Sic & in publicum Expositio insignium luctûs indicium, ceu in Hollandiâ moris est, ubi durante luctu, præcipuè honoratorum, insignia supra fores domûs ponuntur.

## Th. XX.

Non minimum luctûs, publici nimirum, indicium fuit olim Justitium quod Romanis admodum frequens. Illustre hujus rei exemplum videre est apud Liv. *l. 9. c. 7. med.* Sic ob mortem Germanici etiam ante Edictum Magistratum, ante Scutum sumpto justitio, *deserta fora, clausa domus,* ait Tac. *2. Ann. 32.* Hoc ex Senatûs decreto, aut à Dictatore Consulibusque in tumultu & calamitate publicâ: item in funere Principum

F 3

viro.

XIII. Ornamentorum depositio.

XIX. Annulorum vel in ferreos mutatio.

XX. Circa Insignia adjectio.

XXI. Illorum in publicum expositio.

XXII. Justitium.



virorum indici, moris fuit, ceu ex exemplo Germanici, item Augusti Tac. 1. Ann. 16. & 50. Drusi Suet. in Tib. c. 52. & aliorum patet. Hillig. D. E. l. 24. c. 7. H. Et ob foemina impudicā Drusillam à Caligulā iustitium indictum, scribit in eius vitā Suet. c. 24. Plura indicti iustitii exempla v. apud Liv. l. 3. c. 5. & 27. l. 4. c. 26. & 31. l. 6. c. 2. & 7. l. 7. c. 6. 9. & 28. l. 10. c. 4. & 21. In gravi tamen luctu spontè quoque sumtum ex Germanici morte clarum. De vi habituque iustitii, v. Pet. Fabr. l. 2. Semestr. c. 10. Hoc iustitium apud Rom. secum videtur traxisse vestium mutationem, Kirchn. d. tr. l. 4. c. 11. sic enim Juvenal.

*Pullati Proceres, differt vadimonia Prator.*

vid. Lips. ad 2. Annal. Tac. n. 208. Apud Parthos quoque in luctu iustitium fuisse colligitur ex Suet. in Calig. c. 5. in fin. Item apud Ebræos. D. Geier d. tr. c. 19.

Th. XXI.

XXIII. Fascium in-  
versorum  
praelatio.

Fascium inversorum praelationem Romani tempore luctûs usurpabant, quem morem indicat Tac. 3. Annal. 2. quando ob mortem Germanici dicit: *Præcedebant incomta signa, versi fasces.* Sic enim in dolore, ubi præter morem omnia fieri amant, lictores inversos illos præferbant, quo facit Peto in eleg. ad Liviam:

*Quos primum vidi fasces, in funere vidi:*

*Et vidi versos, indiciumque mali.*

XXIV. Ar-  
morum in-  
versio.

vid. Lips. ad d. l. Tac. n. 1. Kirchn. d. l. Huic ritui accensenda armorum inversio. Vestigium in hodiernâ nostrâ militiâ prisca illius luctûs Romani. Mos notus, & ubivis obvius. Hæc tamen inversio apud Rom. præter luctum defectionis & transfugii signum. D. Lips. d. l.

Th. XXII.

XXV. Cadaveris  
amplexatio  
& oscu-  
latio.

Cadaveris Amplexatio, & apud nonnullas Gentes Osculatio ad hanc classem redigenda. Hunc morem Hibernis olim observatum, tradit Stanihurst. descr. Hib. p. m. 221. item & Russis, apud quos mulieres magnâ cum lamentatione ad urnam feralem, quæ aperitur, ubi ad locum sepulturæ ventum est, accurrunt, cadaveri oscula figunt, varia & ridicula



cur conspectui se subtraxerit defunctus, stolidè interrogant. v. Quenstet. *de Sep. Vet. in auctario*. p. 363. Idem ferè mos veteribus Borussis, de quo Quenst. *d. l. p. 367. & seq.* item & Turcis, de quo Busbequ. *Ep. 1. Leg. Turc. p. m. 34.* Nec Romanis mos osculandi mortuos quasi ultimum officium exhibituris, incognitus. v. Val. Maxim. *l. 4. c. 6. n. 3.* & Guth. *de J. M. l. 1. c. 26. p. 156.* dicit: *in regum mortuo illato conscendebant proximiores, ultimumq; illi osculandi officium conferebant.* Et Christianis de osculandi ritum haud inusitatum fuisse constat ex prohibitione factâ per Concil. Antisiodorense can. 12. *non licet*, dicitur ibi, *mortuis nec eucharistiam nec osculum tradi.* vid. Geier *de luct. Ebr. c. 5. §. 11. p. 67. & seq.*

## Th. XXIII.

Lætorum & recreationum omnium fugam, an ad adscititia signa referimus? Ipse dolor ex calamitate ortus hanc nobis, etiam invitis, extorquere videtur a versationem. Quæ enim ante jucunda, horum incidente luctu & dolore nos tædet, & incipiunt mortales ea, quæ antehac tantopere curaverant & optârant, despiciere, ut ad naturalia signa rectius videatur referri, ceu supra th. 8. notatum. Sit ita. In Gentibus tamen nonnullis quasi adscititiam eam fuisse, negandum non est, quò apud Judæos pertinebant lotiones & unctiones tempore luctûs intermissæ, de quibus eruditè D. Geier *d. tr. c. 21. §. 3. & seq.* it. ap. Ægyptios, Gyrat. *d. tr. c. 17.* Sic lotionē seu balnea, & risum sub pœna capitis interdixisse ob mortem Drusillæ legitur Caligula, Suet. *in ejus vitâ, c. 24.* Huc pertinet Musica, quæ non tantum inter epulas apud omnes fermè Gentes. v. Lips. *2. Saturnal. c. 2.* Dempst. *in Paralip. ad Rosin. Antiqu. l. 5. c. 29.* D. Geier *d. l. §. 12.* sed & ad testandum gaudium adhibetur, luctûs tempore inhibito. v. Esai. *c. 24. v. 8.* Plutarch. *in vit. Alex.* ob Hephæstionem mortuum instrumenta musica in castris siluisse dicit. *paulò ante fin.* Mos Germaniæ universalis hic omnibus notus pro nobis loquatur. v. Carpz. *Jurispr. Consist. l. 2. def. 262. & seq.* Inficiandum tamen non est, nonnullis

XXVI. Lætorum & recreationum fuga.

1. Lotionis & unctionum.

2. Musica.



nullis Gentibus in funere tibias fuisse usitatas, ad quas Nænia  
 canebantur, vid. Kirchm. *d. tr. l. 2. c. 5. p. 89. & seq.* D. Geier.  
 3. Chorea- *d. tr. c. 5. §. 16. & seq.* Chorea quoque aliàs ad voluptatem &  
 rum. recreationem facientes 2. *Sam. 6. v. 14. 1. Sam. 18. v. 6. Matth. 11.*  
 v. 17. *Lucæ 15. v. 25.* tempore luctûs planè inhibentur. v. Carpz.  
 4. Convi- *d. tr. l. 2. def. 157.* Convivia, quæ ut plurimum lætitiæ indici-  
 viorum. um. v. D. Gockel *d. tr. c. 1. §. 102. p. 136.* luctûs tempore ex ad-  
 scitatio apud Ebræos more vitabantur. v. D. Geier. *d. tr. c. 21.*  
 §. *fin.* Apud Roman. idem mos observatus; Ita Paul. Jctus  
 l. 1. *Sent. tit. ult. qui luget, inquit, abstinere debet à conviviis,*  
 ubi Cujacius. Apud Parthos hunc morem etiam usitatum  
 colligitur ex Suet. *in Calig. c. 5. in fine.* Huc referendum quod  
 5. lautioris *apud Japonenses quolibet mense, die illo, quo parentes*  
 victûs. *mortem obierunt, nihil comedant eorum, quæ animata fue-*  
*runt, sed fructibus tantum telluris victitent.* Varen. *descr. Ja-*  
*pon. c. 20. p. 132.* Sic in luctu ob Regem, Ægyptii omni mensæ  
 apparatus abstinent vid. Gyrard. *de var. sep. rit. c. 17.* Nec o-  
 mittendum hîc jejunium, quod ob mœrorem Ebræis usita-  
 6. jejunii *tum.* D. Geier *d. tr. c. 20.* Apud Rom. equidem epulum fu-  
 observatio *nebre frequens, ceu ex Cic. orat in Vatin. c. 30. & 31. & ex*  
*Sueton. in Jul. c. 26. Horat. l. 2. Serm. Sat. 3. constat.* Hoc  
 duplex: unum in rogo Dîs Manibus parabatur; alterum  
 domi proximioribus & amicis vid. Jacob. Guthier. *d. tr. l. 1.*  
*c. 26. p. 160. & seqq. & l. 2. c. 10. p. 226. & seq. & l. 2. c. 12. p. 250.*  
*& seq. vid. Kirchman. d. tr. l. 4. c. 5. & 6. Rosin. A. R. l. 5. c. 39.*  
*p. 997. Lips. ad 6. Tac. An. n. 18. & 19.* An & hi quos proxi-  
 mè funus contingebat huic intererant? An Paulus Jctus præ-  
 ter hoc alia frequentare convivia prohibet? Hoc videtur.  
 Cicero enim *d. l. dum: Quis, inquit, in luctu domestico canavit*  
*cum togâ pullâ;* non tam cænæ funebris, quàm vestitûs usum im-  
 probat. Aliarum Gentium circa cænas hæc funebres, ut  
 Græcorum, Judæorum, mores vid. apud Kirchm. *d. l. c. 7.* D.  
 Geier. *d. tr. c. 6. §. 20. p. 165. & seqq.* ubi & de cibis adhiberi  
 solitis, qui tenues admodum fuere. vid. Lips. *d. l.* An hinc  
 nostratum Germanorum mos, qui post peractas exsequias  
 con-



convivia parare solent, de quibus vulgò dicitur: **das Leid vertrincken?** Sic equidem videtur. Jam olim morem hunc à Christianis receptum taxavit Augustin., ceu videre est apud Kirchman. *d. c. 6. p. 392.* Hodiè tamen honoratiores in iis locis ubi epularum harum mos viget, suam conviviis subtrahere solent personam, ut & speciem lætitiæ vitent. Uti autem Jure Can. *c. nullus 7. dist. 44.* exceptis quæ pauperibus fieri solent, in funere convivia planè prohibita vid. Garf. *de Expens. c. 8. n. 12. & seqq. p. 130.* Sic & multis locis interdicta, uti de Hispaniâ testatur Garf. *d. l. & in Ord. Provinc. Saxo-Gothanâ p. 1. c. 18.* ita legitur: **Alle Mahlzeiten / so wohl auch Gastereyen sollen bey Begräbnissen ganz verbothen seyn / es wären denn Frembde dazu erbethen / denen nach Zeit und Orts Gelegenheit die Nothdurfft aufgetragen werden mag / doch ohn allen Überfluß.** Inconvenientiam harum epularum luctûs tempore falsè perstringit Garf. *d. c. n. 11. p. 129.* In conjugatis apud Ebræos hic ritus observatus legitur, ut tempore luctûs ab illibatâ alioquin voluptate, & mutuo debito abstineant: vestigia hujus esse videntur in *2. Sam. 12. v. 24.* ubi post consolationem dicitur David accessisse ad Bathsebam uxorem suam, & cubâsse cum eâ. Idem & Ecclesiam Græcam observâsse ex Leunclav. & aliis probat sæpè cit. D. Geier. *d. tr. c. 21. §. 14.* præcipuè tempore jejuniorum, quæ ad testandum luctum quoque adhiberi solebant. *c. fratres 3. item 5. & 6. XXXIII. 4.*

## Th. XXIV.

Inter assumpta signa ponimus Abstentionem à publico, **XXVII.** & Absconsionem; quam Ebræis usitatam ex Majmonide dicit D. Geier. *d. tr. c. 17. §. 3. in fin. Lugens diebus tribus non procedit, neq; ad lugubrem domum aliam; rationem ejus vide d. c. §. 1.* Hoc videtur hæc abstentio à publico. Nec minus tamen apud eosdem in more positum fuit prodire & publico se exhibere, tecta conscendere & per plateas divagari. vid. D. Geier *d. l.* Item in luctu existentes ingressu & egressu è templo Hierosolymitano singulari præ aliis utebantur, de quo Cunnæ. *de Repub. Ebr. l. 2. c. 13. p. 176.* Videas quoque

§ 7. debiti  
conjugalis  
negate  
redditio.

G

que



que in multis Germaniæ locis, primis luctûs diebus honoratiores publico se conspectui subtrahere.

## Th. XXV.

## XXVIII.

Ignis & lucernarum extinctio.

Foci, ignis, candelarum & lucernarum extinctio nonnullis Gentibus usurpata, assumtis signis merito adjicitur, quia ut ex Tertulliano ait *Guth. d. tr. l. 1. c. 14. p. 84. Lucerne in summâ letitiâ accendebantur, & in publicis gaudiis præ foribus illucescebant; ita, & ex Servio addit: lugentibus inimica lux, quia carent eâ hi, quos lugent: ideoque tenebras petunt, atrâ veste amictuntur, & capita velant ut cum defunctis agere videantur, imitantes tenebris faciem inferorum.* Mortuo apud Persas Rege ignis qui sacer dicebatur, donec funus absolutum esset, exstinguebatur. quod & in morte Hephæstionis Alexander fieri jussisse dicitur ex *Diodor. Sicul. à Gregor. Tholos. S. J. U. l. 2. c. 14. n. 10.* Nescio an non occlusio Valvarum fenestris objici solitarum, item & januarum plurimis in locis inferioris Saxonie usitata, hinc suam petat originem; quo referri potest illud *Nazianzeni in orat. de Maccab. quest. 22. non tenebras concludam, ut ipse quoque aer mecum luceat &c.*

## Th. XXVI.

## XXIX.

Idolorum & templorum lapidatio &c.

Per saturnam quasi alia res sentantur.

Eò insaniæ quoque nonnullæ sunt redactæ Gentes, ut Deorum suorum aras & templa tempore luctûs lapidarent, statuas dejecerint, lares in publicum abjecerint, & partus conjugum exposuerint, v. *Suet. in Calig. c. 5.* Huc referendus *Seneca, quando de Vit. beat. c. 26. nullam, inquit, mihi facitis injuriam, sicut nec Diis quidem hi, qui aras evertunt, v. Kirchm. d. tr. l. 2. c. 12. p. 129.* Super sedem ferè plura recensere. Per saturnam quasi accipe Ordinis disjectionem seu confusionem vid. *Tacit. 3. Ann. c. 3. ibiq. Lips. n. 5.* Fora paleis respersa, qui ritus Græcis in morte Regis usitatus *Ub. Emm. descripi. Reip. Lacon. p. 279.* Incessum lentum, de quo *D. Geier. d. tr. c. 17. §. 8.* Pedes discalceatos *Id. c. 15. §. 4.* Cessationem à labore & negotiis spiritualibus *Id. c. 19.* Inhibitam salutationem *Id. c. 13.* vid. *Alexand. ab Alex. Gen. dier. l. 3. c. 7.* *Greg. Tholos. S. J. U. l. 2.*



SI  
l. 2. c. 14. n. 10. & seq. Plutarch. in vit. Pelopida circa fin. plura  
inpraesentiarum non addimus.

## CAPUT QUINTUM.

Luctus terminus à quo & ad  
quem. qui pro Gentium & sexus : item  
domestici & privati aut publici : ne-  
cessarii & arbitrarii varietate  
variat.

### THESIS I.

Luctum suscipi in funere & calamitate, supra assertum.  
Quando autem is inceperit, & quousque duraverit, jam  
ut videamus, ordinis ratio postulat. Statim autem hinc dis-  
cernendus venit moeror intrinsecè in animo hærens, ab ex-  
trinsecò, habitu signisve aliis, quibus moerorem lugentes tes-  
tamur. Ille statim censetur oriri, ubi casus lugendus acci-  
dit, ut confestim ad suspiria, fletum, & alia moerentium, quæ  
natura exprimere solet signa, vel inviti delabi soleamus, ceu  
sine longâ ambage ipsa experientia testatur. Exempla eo-  
rum, qui post audita vel nunciata tristia moerorem confe-  
stim testati sunt, plura hinc allegari possent; sed cum illa ex  
supra dictis nullo colligi possint negotio, nolumus hinc actum  
agere. Quousque autem hic moeror duret, dictu facile non  
est, cum affectus, alius præ alio citius vel tardius deponat;  
adeoque, nisi extrinsecò signo hunc testetur dolorem, de inter-  
no illo judicare admodum difficile, cum actus interni in ex-  
ternos non prorumpentes à nobis cognosci haud queant. v.  
Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 4. §. 3. & c. 20. d. l. §. 18. Unde ubi  
de lugendi tempore seu terminis nobis agendum est, præci-

Moeroris,  
interni  
terminus  
à quo.

ad quem.

Termini  
Luctus





*extrinsecè  
deklarati  
necessarii  
hic præci-  
pua ratio.*

puè de luctu extrinsecè declarato dicendum veniet, quando sc. hic incipiat & quousque se extendat, seu duret. Cum autem hic vel privatus seu domesticus; vel publicus seu inditus; uterque vel ob funus vel ob calamitatem susceptus: idque vel ex necessitate, vel ex voluntate & libero arbitrio; prænotandum, quod de voluntario & ex arbitrio assumpto luctu nobis sermo hic præcipuè non sit: nec enim huic terminus certus à quo & ad quem præfixus, sed hic obtinebit, quod in simili dixit Ulpian. *in l. 23. ff. de his qui not. inf.* secundum animi patientiam hunc vel coarctari vel extendi: sed de necessario.

*Luctus do-  
mestici ob  
funus, ter-  
minus à  
quo.  
apud  
Ebræos.  
Roman.*

## Th. II.

Et ut incipiamus de luctu privato in funere demonstrato, incertum videtur, quando is inceperit. De Ebræis quidem horumque luctu, more in Gente hâc recepto, à die Sepulturæ consummatæ hunc incepisse ex Majmonide tradit D. Geier. *d. tr. c. 3. §. 1. & 2.* Num & apud alias Gentes eo, quo apud Ebræos modo, post consummatam demùm sepulturam, aut funeralia peracta terminus à quo fuerit constitutus, reperire datum haud fuit. Apud Romanos sanè ob luctus statim post mortem, etiam ante pompam funeris, vel absolutam cremationem, aut sepulturam & condituram secutam, luctum usitatum fuisse, non obscure colligitur ex Varro *l. 3. de vit. Pop. Rom.* ubi de mulieribus lugentibus ait: *ut, dum supra terram esset (defunctus scil.) reciniis lugerent; funere ipso, ut pullis pallis amictæ; unde Kirchn. de Fun. Rom. l. 2. c. 18. p. 154. erant, inquit, mulieres in luctu Romano viriliter reciniatæ, sed quod notandum, domi duntaxat, & quidem septem tantum illos dies qui funeris elationem præcedebant. Nam octavo die reciniis illis in lectulum feralem impositis, ut unâ cum mortuo comburerentur, togas sumebant pullas, quibuscum in funus prodirent. Eaq; deinceps vestes in luctu.* Idem *l. 3. c. 5. p. 222. & seqq.* Porro terminum à quo statim post mortem incepisse, probare videtur Ulp. *in l. 8. ff. de his qui not. inf.* ubi continuum dicitur luctus tempus, ita ut etiam ignorantia cedat. v.

Francisc.



Francisc. de Amaya *Obs. l. 1. c. 2. n. 16. p. 26.* Cypr. de *Sponsal. c. 13. §. 93. n. 4. p. 608.* Marqu. Freher. de *infam. l. 3. c. 17. num. 8. p. 466.* Hoc autem tempus continuum dicitur, quod sine interruptione, nullis exceptis diebus, currit. *arg. l. 11. §. 5. ad L. Jul. de adult. l. 4. §. 5. de Statulib.* vid. Alb. Gentil. de *divers. tempor. appellat. c. 14. p. 147.* Cujac. 2. *Obs. 18.* Tiraquell. de *retrait lignag. §. 1. gloss. 11. n. 21. p. 194.* Vinn. ad *§. pen. J. de bon. poss. p. 564.* Ut sic cum nulli dies hîc subtrahantur, momentum mortis, ut terminus à quo rectè constitui videatur. Simile videtur olim usurpatum apud Hibernos, ceu videre est apud Stanih. *Hibern. in descr. Hib. p. 229.* ubi ita: *quamprimum extremum halitum efflat &c.* Apud Turcas, ubi nisi ob Imperat. mortem luctus extrinsecè declaratus nullus, hic incipit in pompâ funeris. v. Montalban. *Comment. Rer. Turc. p. m. 48.* Apud Germanos nostros fermè omnes, quoad funus domesticum, à tempore mortis hic luctus demonstratur, ceu experientia testis est.

Hibern.

Turc.

German.

## Th. III.

Haftenus, quando incipiat. Subjungendum jam quousque duret, seu extendatur, & quando lugentes eluxerint: Plus enim est elugere quàm lugere, ut plus est evincere quàm vincere; nam evincere est rem auferre post victoriam *l. 16. §. 1. l. 24. de evict. l. 6. de Serv. export.* plus est exigere, quam agere; nam exigere est extorquere pecuniam, postquam egisti: sic & elugere, est deponere luctum, postquam luxisti, vel consummare luctum, uti ex Agrætio, veteri Grammatico Cujac. *l. 2. Quest. Papin. ad l. ult. ff. de his qui not. inf. p. 31. D. Guth. de J. M. l. 3. c. 28. p. 576. Rævard. varior. l. 1. c. 20. p. 530. Kirchn. de Fun. R. l. 4. c. 10. in fin.* Ratione autem termini ad quem hîc vel maximè verum, quod dicit Jac. Gretserus *l. 1. de Fun. Crist. c. ult. Nihil aliud habeo dicere, quàm fuisse incertum, tam Ethnicis quàm Judæis & Christianis.* Unde variat hoc tempus pro variâ Gentium indole ac more. Observare tamen est, apud multas alium terminum foemineo, alium ma-

Terminus ad quem.

Elugere quid?

qui varius pro Gentium varietate.



In Conju-  
gum luctu  
invicem  
terminus  
ad quem.  
an utriq;  
sexui idē.  
apud Ebr.  
ubi de  
viduā.

54

sculino præfixum. Cum autem id cuius causâ lugemus sic  
vel funus, vel calamitas, incipimus à domestico ob funus su-  
cepto, eoqve necessario conjugum. Ubi quoad tempus  
luctûs ingens differentia: apud plurimas enim Gentes idem  
terminus, qui uxoribus, non statim quoque maritis præfinitus:  
his enim ut plurimum restrictior, illis laxior injunctus.  
Jure equidem Ebræorum utrûm diversitas quædam obtinuerit,  
ex sacris litteris, quantum equidem perspicere licuit, non apparet,  
ita, ut terminus ad quem mulier defunctum maritum luxerit, non  
adeò certus sit. Putatur quidem terminus fuisse mensis, ceu colligitur  
ex *Deut. 21. v. 11. & seqq.* Ubi captiva mulier ducenda ab Ebræo  
jubetur lugere parentes per mensem. An autem qui in luctu ob  
parentes ibi, æqvè ob maritum usitatus, non constat; imò exinde ceu à  
separatis nihil certi inferitur. *l. fin. ff. de calumniat. l. 20. de minor. l. 12. §. 1. de Acquir. vel Amitt. Poss. Wesenb. Consil. 41. num. 54. Eberhard. à Middelburg. in loco à separatis num. 1. & seqq. De Bathseba 2. Sam. 11. v. 26. dicitur, eam auditâ morte mariti planxisse illum, transactò autem luctu Davidem misisse ac introduxisse illam in domum suam.* Alii hîc septem diebus ipsam fuisse in luctu, aut paulò plus: luctum tamen infra duorum mensium spatium absolutum fuisse tradunt. *Joseph. Antiqu. l. 7. c. 9. indefinitely ait, Uxor Bethsebea mortem sui viri cognoscens, multis enim diebus fleuit; Ambrosius init. Orat. de obitu Theodosii: luctûs quidem inquit, legitimus & idoneus tempus fuisse triginta dierum apud Judeos ex Mosaicis legibus. Joseph. l. 4. Ant. c. 16. ubi de captivâ quam quis vult ducere post ritus alios observandos inquit: Triginta verò in luctum diebus expletis (sufficiunt enim isti dies sapientibus ad lachrimas amatorum:) tunc procedat ad nuptias.* Num autem hæc verba æqvè sint referenda ad uxorem, consanguineos, ac maritum lugentem, non satis clarum. v. D. Geier. *d. tr. c. 2. §. 5. p. 18.* An concedimus hoc, ubi omninò certum, uxorem ex priore marito non esse gravidam? an etiam ubi de illo dubitatur? Posterius sanè non videtur, cum in Gente hæc aliàs moratissimâ, & in quâ constare



stare omnino debebat, ex qua tribu quisque oriundus erat.  
 v. Sigon. de Repub. Ebraor. l. 1. c. 2. pag. 23. & seq. non vide-  
 atur probabile, sanguinis turbationi & familiarum incertitu-  
 dini sic planam apertam fuisse viam. Cypræus de Sponsal. c. 13.  
 §. 91. n. 2. p. m. 603. certius rem determinat, quando ex Pan-  
 dectis Ebraorum constare dicit, viduam tres menses exspe-  
 ctare juberi antequam mariti defuncti fratri, vel alii nubat,  
 quo certo cognosci queat, utrum prægnans sit. Verba ex  
 Ebraeo translata sic recitat: *Vidua non exuat calceamentum,*  
*neque nubat cognato viri, antequam menses tres elapsi sint, ne*  
*fortè gravida sit;* Unde colligitur prænantem duci non po-  
 tuisse, sed tempus luctus ad minimum trium mensium, quo  
 explorari possit, num vacua sit mulier, an verò uterum gerat  
 expectandum fuisse. De Viduis autem, qui uxorem lugere  
 tenebantur, quam diu luxerint suas uxores vid. ex Majmon.  
 D. Geier. d. tr. c. 3. §. 2. & 3. distinguebatur, utrum præcepto  
 multiplicationis satisfecerint, an non: illo casu, modò liberi  
 non sint tenelli, & habeant vidui, qui sibi ministrent, prohi-  
 bebantur ducere uxorem donec transirent tria festa majora  
 annua. Hoc casu, vel ubi quidem satisfecerant præcepto:  
 crescite & multiplicamini: liberi tamè adhuc tenelli existebant,  
 permillum erat desponsare sibi aliquam, ac è vestigio ad se  
 recipere; quanquam prohibitum fuerit, maritaliter eam acce-  
 dere, ante diem trigesimum v. D. Geier d. tr. c. 2. §. 7.

item de vi-  
duo.

Th. IV.

Accedimus ad Romanos, ubi certior lugendi terminus,  
 diversus tamen æquè ratione mariti & uxoris. Ad hanc quod  
 attinet, Numa Pompilius terminum decem mensium luctui  
 præscripsit. v. Valent. Forster. hist. Jur. Civ. l. 1. c. 7. n. 8. p. 30.  
 quod Pauli Jcti temporibus obtinuisse verba lib. 1. recept. sent.  
 tit. ult. ceu ea collegit Jacob. Cujac. l. 21. obs. 12. testantur, ubi  
 inter alia ita: *maritus decem mensibus elugeri potest.* Quod  
 tempus legitimum vocat. Ulp. in l. 8. & l. 11. §. 1. & 2. de his  
 qui not. item lugubris annus dicitur Nov. 39, c. 2. Ad hunc ter-  
 minum alludit Ovid. l. 4. Fastor. pr.

Ap. Rom.  
terminus  
luctus vi-  
dua ob ma-  
ritum de-  
cem mensi-  
um olim.

Tempora





*Tempora digereret cum Conditor urbis in anno,  
Constituit menses quinque bis esse suo.*

& paulò post:

*Per totidem menses à funere conjugis uxor,  
Sustinet in viduâ tristia signa domo.*

Testantur præter hos de luctu decimestri Cic. pro Cluent. c. 35. ibi: *qua mulier obtestatione viri decem illis mensibus ne domum quidem ullam nisi socrus sua nosse debuit* &c. item Seneca Consol. ad Helv. c. 15. *ideò majores decem mensium spatium lugentibus viros dederunt.* Jac. Guth, de *J. M.* l. 3. c. 28. p. 576. & seq. Rosin. *Ant. Rom.* l. 5. c. 3. p. 998. Cujac. 6. *Obs.* 32. *itera l. 21. Obs.* 13. Idem de *divers. tempor. præscript.* c. 13. p. m. 287. Kirchman. de *Fun. Rom.* l. 4. c. 10. p. 410. & seq. Quenstet. de *Sep. Vet.* c. 13. p. 313. & seq. Henel. *Otio Vratislav.* c. 5. p. 39. Francisc. de Amaya *Obs. jur.* l. 1. c. 2. num. II. *Cypræ. de Sponsal.* c. 13. §. 91. num 2. pag. 603. & seq.

Th. V.

*Rationes  
hujus lu-  
ctus deci-  
mestris.*

Rationes præfiniti hujus temporis indagaturo, duæ præcipuè se offerunt: prima desumpta à reverentiâ, quam uxor marito vivo, ceu capiti debet, ut ea etiam post mortem servetur & ostendatur: altera à metu turbationis sanguinis, i. e. seminis, ceu communiter statuunt, & hinc dependentis cognationis Sichard, *ad l. 1. Cod. de secund. nupt. n. 3.* (sanguis enim apud Jctos sæpè pro cognatione usurpatur, sic apud Ulp. *in l. 12. ff. de manumiss. vind.* sanguine aliquem contingens cognatione ac necessitudine junctus dicitur: & apud Papin. delatam à fratre milite, in aliâ provinciâ agenti militi fratri hereditatem, sanguinis ratione, non militiæ causâ esse tributam *in l. 16. §. 1. ff. de Castr. pecul.* legitur; & Pompon. jura sanguinis, i. e. cognationis *arg. §. fin. Inst. de leg. agnat. tut.* nullo jure civili everti posse asserit. *l. 8. de R. J.* ut sic turbatio sanguinis idem sit, ac confusio cognationis, nominis & familie) ne scil. mortui mariti uxore prægnante relicta statim ad secunda convolante vota, ignoretur, priori an posteriori matrimo-



trimonio partus sit accensendus. Utramque rationem ipsa commendat honestas: ut taceamus rem scandali & suspitionis *Nov. 39. cap. fin.* esse plenam, viduam in funere mariti quasi tædas nuptiales accendere, & post fata viri statim & sumere, & ponere lugubria. Priorem exprimunt *Impp. Grat. Val. & Theod. in l. 4. C. ad Sc. Tertul.* per religionem priori viro debitam. & *Justinian. in Nov. 22. cap. 22. in fin.* ubi per nuptias prohibitas *contristari dicitur maritus prior; cui & nuptiæ hæ dicuntur acerbæ. Nov. 39. cap. 2.* ut manes defuncti quasi mærore afficiantur, nondum exacto lugubri tempore, muliere ad iterata festinante vota: seu ut loquitur Apulejus *Metamorph. l. 8. p. 187. Immaturatione nuptiarum indignatione justâ manes acerbos mariti suscitari;* Probant hanc rationem *Henning. Arnisæus de Jure Connub. c. 5. sect. 4. n. 8. Rittershuf. Expos. Nov. part. 4. c. 3. n. 7. Carpzov. Jprud. Conf. lib. 2. def. 161. n. 1. Gothofr. ad l. 8. §. 4. C. de Repud. d. Francisc. de Amaya Obs. jur. l. 1. c. 2. n. 13. Mæstert. de Just. LL. Rom. l. 2. dub. 8. Hahn ad Wefenb. de his qui not. inf. n. 5. p. m. 461. seq. Altera passim in jure Rom. invenitur, ut in l. 11. §. 1. ff. de his qui not. inf. l. 2. C. de Sec. Nupt. Nov. 39. c. 2. l. 53. de Episc. & Cler. v. Auctores modo allegg. quibus jungas Cujac. d. loc. Joh. Merc. Opin. lib. 2. c. 20. p. 162. & seq. Marqu. Freher. de Infam. l. 3. c. 17. n. 7. & seq. p. 465.*

## Th. VI.

Hisce decem mensibus postea duo adjecti sunt constitutione *Gratiani, Valentiniani, & Theodosii Impp.* quæ habetur *in l. 2. C. de Sec. Nupt.* ut ita spatium luctûs muliebris factum fuerit **annuum.** Hos enim primò annum tempus seu duodecim menses determinasse, verissimum censetur *Hillig. ad Donel. l. 18. c. 7. lit. C.* Nodum tamen nescit, quod *Seneca Æpist. 63.* anni mentionem faciat, sic inquit: *annum feminis ad lugendum constituerunt majores;* qui sibi ipsi contrarius videtur, quando in *Consol. ad Helviam c. 15.* decem saltem mensium mentionem facit. *Apulej. quoque loc. ante cit.* itidem annum luctui muliebri determinatum dicit, ibi: *quoad residuis mensi-*

H

bus

Constituti-  
one Impp.  
luctus vi-  
duarum  
duodecim  
mensium.



*Annus ap.  
Rom. olim  
triplex.  
Romuli.*

*Numa.*

*C. J. Cæsa-  
ris.*

*bus spatium reliquum compleatur anni.* Alios auctores anni mentionem ante constitutionem Augustorum facientes v. apud Cypræ. *d. tr. c. 13. §. 91. n. 2. p. 604. & seq.* Hunc ut dissuamus nodum, advertendum est: annum apud Roman. triplicem olim fuisse, Romuli, Numæ, & Cæsar. Illius decem constitisse mensibus, aut diebus ter centum & quatuor passiva auctorum est opinio. Imitatus in eo Græcos, quorum plerique decem mensium annum habuerunt. Istius, qui vitium manifestum Romuli sentiens, duos prioribus addidit menses, Januariam scilicet & Februariam, & totum annum absoluit diebus 350. Intercalatione tamen quolibet biennio alternatim, modo 23. modo 22. dierum in mense Februario factâ. v. Val. Forster. *Hist. Jur. Civ. l. 1. c. 7. n. 4. Rayard. Var. l. 1. c. 20. p. 529.* At cum ne hoc quidem pacto confusio omnis vitari poterat, hic sc. Julius Cæs. ad annum Numæ decem addidit dies, ut jam computatis diebus intercalaribus absolutus fuerit diebus 365. Intercalatione tamen ob Solis cursum, qui annum Solarem constare facit diebus 365. & quadrante, i. e. horis senis (vid. tamen Alber Gentil. *de divers. temp. appellat. c. 3. p. 21.*) non omnino sublata, sed quarto quoquo anno, die uno redundante, mense Februario, infarcto. vid. Just. Lips. *de anni rat. item de anni intercalat.* Hinc quando præallegati auctores annum luctum uxorium dicunt, respiciunt non ad dimensionem anni suis ordinatam temporibus, sed ad annum Romuli, quem decem mensium fuisse, ex Lips. *d. l.* & aliis, constat. v. Henel. in Otio Vratislav. *c. 5. p. 39. & seq.* Auctores verò, qui post Theodos. scripserunt, non de decem, sed de anno, qui duodecim constabat mensibus loquuntur, rectè advertente Cujac. *de divers. temp. prescript. c. 13. p. 287.* Nisi secedere malis in illorum castra, qui annum semper constitisse duodecim mensibus dicunt, & sic annum luctus etiam dici de denis mensibus, quia sc. eo spatio circumducto luctum exuere, ad matrimonium re lire, unde cecidit, mulieri liceret, ut sic spatium hoc propriam anni significationem habeat. v. Alb. Gentil. *d. l. p. 23.*

Pro



Pro quo egregiè faciunt quæ habet Jac. Rævard. *Var. d. l. p. 528. & seq.* Ut sic nodi objecti solutio desumatur ex diversâ anni appellatione, pro varietate substratæ materiæ variâ. Quare autem Impp. prælaudati *parvum tempus*, ut loquuntur in *l. 2. C. de Sec. Nupt.* duos sc. menses tempori luctui olim præfinito addiderint, Connanus hanc, teste Cypræ, *d. tr. c. 13. §. 91. n. 2.* reddit rationem, quod cum mulier etiam undecimo mense parere possit, teste Agell. *l. 3. N. A. c. 6.* (modò sub initium id est primo, secundo vel tertio die undecimi mensis pariat Zacchias *Quæst. Medico-legal. l. 1. tit. 2. quæst. 6. n. 10.* Menoch. *A. J. Q. l. 2. cas. 89. n. 41. & seqq.* Tiraquell. *ad l. si unquam verb. suscepit liberos num. 208. & seqq. C. de revoc. don. Carpzov. Jpr. Conf. l. 2. def. 225. n. 12. & seqq.* Hahn. *ad Wes. ff. de Stat. hom. n. 3.*) ita ut hic partus pro legitimo habeatur. v. Magn. Struv. *S. J. C. Ex. 3. th. 4.* Beust. *de Matrim. part. 2. c. 36. p. 160. & seq.* Carpz. *P. 4. C. 27. D. 15.* Hahn. *ad Wesenb. d. l.* Salmuth. *ad Panciroll. Rer. Memor. part. 2. tit. 10. p. 209.* Menoch. *A. J. Q. dict. loc.* non obstante *l. 3. §. 11. ff. de suis & legit. hered. l. fin. de fideicommiss. hered. l. 29. pr. de lib. & posthum. Nov. 39. c. 2. v. Hahn. d. l. Arumæ. part. 2. Decis. 14. num. 81.* Cujac. *ad d. Nov. Menoch. d. l. n. 51. & seq.* (modò ambigua pudicitia & fama mulieris non aliud suadeant) tempus longius determinandum fuisse. At quid opus integros duos menses adjicere, cum suffecisset aliquot diebus spatium auxisse, cum, ut ante dictum, tum demum partus undecimestris pro legitimo habeatur, ubi primis diebus, i. e. primo vel secundo, seu quod rarissimum, intra decem dies Zacch. *Quæst. Med. Legal. d. l.* nascitur, ut vel hinc totos adjecisse menses, ceu in casu rariùs contingente, opus haud fuisset. Aliàs si ad rariùs contingentem casum aliquem respexissent Impp. de quo tamen leges ferri haud solent. *l. 3. & 4. ff. de LL.* quare non quatuor vel quinque adjecerunt menses; nam dari quoque partus tredecimestres, quatuordecimestres, & quindecimestres, testis est Salm. *in not. ad P. d. tr. & l. p. 111.* Menoch. *d. l. n. 50.* Unde probabilior est ratio, quam & Cypræus *d. l.* desumit ex tem-

Ratio ad-  
ditorum  
duorum  
mensium  
decimestri  
luctui.



pore, quod mulieri post partum ad purificationem lege divina *Lev. 12.* injunctum, à Christianis, quorum religione Impp. antea laudati imbuti erant, piè retentum & concessum est, quæ melior forsan eâ, quam habet Sichard. *ad l. 1. & 2. C. de secund. nupt. n. 3.* quæ desumpta ex decentiâ, quod pulcrum fuerit duos addidisse menses. Jam si ponas ordinarium pariendi tempus, quod decimus quoque mensis *l. 20. & 29. pr. ff. delib. & posthum. l. 3. §. post mortem ff. de suis & leg. hered. Agell. l. 3. N. A. c. 16. Salmuth. d. l. p. 209.* & addas tempus purificationis; quod sex septimanarum propemodùm apud Gentes Christianas, conficies plus minus duodecem menses.

## Th. VII.

*An luctus muliebris ratio in superfœtatione?*

Cum autem ob turbationem sanguinis luctus certo tempore determinatus sit, an ex superfœtatione Romani LLatores fundamentum desumserint, cum Mercerio *d. l.* asserere non audemus. Disquirere quidem non vacat, an Romani LLatores primarii, sive secundarii, Jcti scil., statuerint superfœtationem, & an revera ea detur: hoc siquidem, ne extra oleas, Medicorum cathedræ relinquimus, vid. interim Mercer, *d. l.* Hahn. *ad Wes. de his qui not. inf. n. 5.* Salmuth. *d. l. p. 215.* Ludov. Bonaciol. *de fœtus format. c. 5. p. 140.* & *seq.* Cypræ. *d. l. §. 97. n. 2. p. 611.* Mæstert. *de just. LL. Rom. lib. 2. dub. 8. p. 229.* Tiraquell. *de jur. primogen. qu. 1. n. 9.* Potest enim turbatio seu incertitudo circa prolem, etiam non attentâ superfœtatione, existere, si paulò post mortem mariti ad iterata vota mulier transeat. Sic e. gr. Sempronia Titii vidua, non dicamus jam statim, & illicò, sed vel secundo vel tertio à conceptione mense Cajo nubit, post, nono vel decimo mense, ceu ordinario pariendi tempore, vel initio undecimi, quod fieri posse supra assertum, post obitum prioris mariti partum edit; jam cum & septimus mensis *l. 12. §. fin. de suis & legit. hered.* & octavus, v. Hahn. *d. l. de statu hom. legitimum habeatur pariendi tempus.* jung. Auct. supra cit. utri, Titio defuncto, an Cajo successorì tribuendus erit partus? & ad



& ad utrius hereditatem admittendus. Summa sanè hic incertitudo, & turbatio circa familiam, & jura hinc dependentia existit. Quam variæ quoque inde opiniones Jctorum circa filiationem & adjudicationem hereditatis, videri potest apud Salmuth. *d. l. p. 202. & seq.* Prudenter itaque, etiam remota antedictâ superfœtatione, vel ex eâ, quam diximus, turbatione & prolis incertitudine tantum luctui Romani destinantur tempus. Quid autem si non quidem mortuus sit maritus, sed divortio matrimonium solutum, an & sic elugere tenebitur mulier? cum hîc eadem ratio subsit, Affirmatur: hoc & Valentinianus & Theodosius sanxerunt in Constit. quæ existat in *l. 8. §. 4. C. de Repud. ne*, ut ipsi loquuntur, *de prole dubitandi occasio detur*. Nihilominus, cum hic maritus luctu indignus videatur, sola imprægnatio sustinebit tempus lugendi annuû. Frêher. *de infam. l. 3. c. 17. n. 16.* Unde hac deficiente etiam intra annum nuptiæ liberè contrahentur. Cujac. *ad Nov. 22. Idè de divers. temp. præscript. c. 20. Idem l. 6. Obs. 37.* Hinc abductâ Neroni uxore, consulti à Tiberio Pontifices, an concepto, nec dum edito partu ritè nubere? responderunt, si dubitetur, an sit prægnans, non ritè: si certum sit, non esse prægnantem, ritè ipsam nubere, Dio. *l. 58. Cujac. 6. Obs. 33.* Quid si diu maritus morbo colluctatus fuerit, ut debito conjugali reddendo planè inhabilis; aut uxor certò sterilis fuerit? nihilominus elugere teneri uxorem putamus. ratio enim altera adhuc obtinet, quæ iterationi secundarum nuptiarum festinatae obicem figit. Idem dicendum, si mulierem ex priori marito gravidam esse certò jam constat. Non quidem ob metum superfœtationis ut vult Mæstert. *de Just. LL. Rom. l. 2. dub. 8.* sed ob violatam reverentiam manibus prioris mariti debitam. Liberiores Romanis LLatoribus videntur fuisse Canonistæ, qui postquam obdormivit vir, mulierem liberam pronunciant, facultatem ei concedentes nubendi cui velit, *c. penult. & ult. X. de secund. Nupt. Zæf. ad Decretal. d. t. n. 1. & seqq. Lancelot. §. illud Instit. Jur. Can. de Divort. l. 2. tit. 6.* quam malè autem Pontifices Urbanus III. & Innocentius

*Q. an mulier elugere teneatur maritum per divortium matrimonii soluto.*

*Quæ*

*Jure Can. statim à morte conjugis ad secundam accessus liber.*



III. horumque defensores, Pauli Apost. asserto *ad Rom. 7. v. 2.*  
*Et 1. ad Corinth. 7. v. 39. mulier, quam diu vir ejus vivit, lege ad-*  
*stricta est viro suo: cum vero mortuus fuerit vir, soluta ac libera*  
*est à lege viri, ut possit jam cui velit nubere, tantum in domino;*  
 abutantur, & libertatem prætentam contra mentem ipsius  
 Auctoris extendant, adque carnalem quandam, & in civi-  
 tate improbatam licentiam pessimè detorqueant, solidè oster-  
 dit B. D. Gerhard. *tom. 7. LL. §. 199.* cum hac licentia & ef-  
 frenis libertas repugnet honestati publicæ, honori matrimo-  
 nii, introducat sanguinis confusionem & prolis incertitudi-  
 nem, maleficii suspicionem confirmet, & omnem honorem  
 marito defuncto, ejusque memoriæ debitum extinguat. vid.  
 Quenst. *de Sep. Vet. c. 13. p. 314.* item fusè & solidè Rittershus.  
*de Differ. Jur. Civ. & Can. l. 2. c. 4. p. 49. & seq.* Scip. Gentil. *de*  
*Sec. Nupt. c. 18. circa fin. Mæstert. d. l. p. 230.* vid. nos *infr.*

Th. IIX.

*Qu. an in*  
*sponsis elu-*  
*gendi tem-*  
*pus?*

Cum autem hæc turbatio sanguinis in sponsis haud vi-  
 deatur metuenda, an sponsa elugere teneatur prædefunctum  
 sponsum, antequam ad secunda pergat vota, quæritur? Jus  
 equidem civile *sponsi* (non *sponsæ* ut Judaicus ille apud Cu-  
 jac. *l. 9. Obs. 17. interpret*) seu ob sponsum, *nullum luctum* di-  
 cit, *l. 9. ff. de his qui not. inf. &*, uti dicit Harmenop. *l. 4. tit. 7.*  
*sponsa sponsum non luget*: quod intelligendum de luctu neces-  
 sario, & sub pœnâ infamiæ injuncto, ob cessantem scil. ratio-  
 nem, turbationem nempe sanguinis, & incertitudinem pro-  
 lis, seu familiæ. v. Cypr. *d. tr. cap. 5. §. 20. n. 2 p. 138.* Non  
 tamen prohibitus exinde censendus luctus sponsi, maxime  
 cum vel hinc affectum & amorem in sponsum sponsa testari vi-  
 deatur: imò, nî externè quoque dolorem ob amissum spon-  
 sum ostendat, levis animi notam quomodo evitabit? Insigne  
 luctûs exemplum ob sponsum, legitur de sponsâ unius ex  
 fratribus tergeminis Curiatis apud Flor. *l. 1. c. 3.* Non officit  
 antedictis *l. 15. l. 16. ff. de Sponsal. item l. 4. ff. de fund. dot.* ubi  
 quod de marito, idem & de sponso respondendum esse affir-  
 matur. Scil. in casibus illic propositis, ob eandem, quæ in  
 sponso



sponſo æque ac in marito ſuberat rationem, idem quoque  
 respondebatur, & ſic uti eadem ratio idem *l. 32. ff. ad L. Aquil.*  
*l. 7. verſ. actionem.* ibi: *ſatis etiam tacite C. de revoc. donat. c. 2.*  
*verſ. unde cum non ſit X. de Translat. Episcop. Tiraquell. in tract.*  
*ceſſante cauſa part. 1. n. 156. Sutholt. Diſſert. 1. th. 12.* ita diver-  
 ſa, diverſum *l. 83. §. 5.* ibi: *ſed hac diſſimilia ff. de V. O.*  
*Alexand. Conſil. 7. in fine lib. 7. Schrader. in tract. Feud. part. 1.*  
*qu. 6. n. 16.* imò ceſſans ratio, ceſſare etiam jus facit, *c. 69. X.*  
*de Appellat. l. 65. §. 4. & 10. ff. pro Socio. Magnif. D. Struv. S. J.*  
*C. Ex. 2. th. 49. Sutholt. d. Diſſ. th. 16. Zœſ. ad tit. ff. de LL. n.*  
*56. ſeq. Tiraquell. d. tr. n. 11. & ſeq.* Dicis: licet ceſſet ratio à  
 metu turbationis ſanguinis, non tamen & altera à reverentiâ  
 deſumta, quàm æque videtur debere ſponſa ſponſo, ac uxor  
 marito? Duabus enim prohibitionis cauſis concurrentibus,  
 non una, ſed utraqve ceſſans, prohibitionem ceſſare facit?  
*§. 6.* ibi: *aliâ ratione prohiberis Inſt. de Nupt. l. 83.* ibi: *alia*  
*lex ff. de hered. inſtit. l. 13. §. 1. delib. & poſthum. inſtit. Tiraquell.*  
*d. tr. limit. 22. num. 1. & ſeq. Hartm. Piſtor. l. 1. queſt. 15. num. 13.*  
 Regerimus hoc verum eſſe, ubi matrimonium reverâ adefſt,  
 quod per ſponſalia non niſi de futuro indigitatur. maximè  
 cum ſponſalia de Jure Civ. ſaltem ſint de futuro, verum ma-  
 trimonium nec dum inferentia, *l. 1. ff. de Sponſal. Magnif. D.*  
*Struv. S. J. C. Ex. 29. th. 9. Hahn. ad Weſenb. de Sponſ. num. 3.*  
 At ubi fuerunt ſponſalia de præſenti, ceu ea vocat Jus Canon. *In ſponſis*  
*c. 9. c. 15. X. de Sponſal. c. fin. X. de ſponſâ duor.* (quæ quidem diſ- *de præſen-*  
 tinctio nominetenus in Jure Civ. latens, reipſâ tamen exi- *ti luctus nō*  
 ſtere videtur. v. Dn. Præſes in Diſp. *de lucro dot. ante conſum-* *improba-*  
*mat. matr. th. 27. paulo poſt inſtit. Penfold. ad Coler. Decif. 286. biliter de-*  
*n. 229.*) quæ jure Civ. verum ac perfectum inferunt matrimo- *ſenditur.*  
 nium. *l. 30. ff. de R. J. l. 15. C. de C. & D. l. 22. C. de Nupt. l. 6. C.*  
*de donat. int. V. & U. Sutholt. Diſſ. 2. th. 9.* ibi etiam effectum  
 Jus civile negare nequit, ut hîc non minùs ac in conſumma-  
 to matrimonio luctum obſervandum putemus: quo etiam  
 reſpicere videtur Jus Canon. *c. omnis itaq. XXXII. 2.* ubi tra-  
 ditur, *legibus cautum eſſe, ut ſponſa ſponſi mortem non ſecus lu-*  
*geat,*



geat, quam mariti. Ut jam nihil dicamus de cessante ratione ex turbatione sanguinis desumptâ, cum benè præsumendum de sponsis, & in meliorem partem aliàs semper præsumtio facienda, c. estote misericordes 2. X. de R. J. c. ult. X. de præsumt. l. pen. ff. de pœnis. l. 9. l. 56. & passim ff. de R. J. vid. Magnif. D. Struv. S. J. C. Ex. 28. th. 18. Mund. vol. 1. Consil. 28. n. 195. Coraf. de art. jur. c. 8. p. 179. & seqq. & virgines ac mulieres præsumantur honestæ, donec contrarium probetur Schneidew. ad J. in duplum, num. 14. Inst. de act. Menoch. de Præsumt. l. 6. Præf. 89. Fulv. Pacian. de Probat. vol. 3. conclus. 1410. & virginitas dicatur qualitas naturalis, quæ hominem sequitur, Alciat. de Præsumt. reg. 3. in pr. Menoch. d. l. n. 2. Nihilominus, ceu testatur Brunnem. ad l. 2. C. de sec. nupt. non semper constat, ad quam lineam amoris nupturientes seu desponsati pervenerint; unde multò tutius erit, luctum per abstentionem ab iteratis subitaneis nuptiis injungere. Imò publicæ honestati & reverentiæ sponso de præsentis ceu marito debitæ conveniens videtur, luctui destinatum tempus impendere: indecoræ enim levitatis certissimum foret indicium & publicè scandalosum, si tædas ferales in nuptiales confestim convertere gestiât. Et quid multis? Nec Jus Civile Rom. luctum ob sponsum de præsentis ignorat, ea enim, quæ nondum à viro cognita, & adhuc virgo est, elugere debet virum, sic enim ait Harmenop. lib. 4. tit. 7. Καὶ συναφθεῖσα ἀνδρὶ, ἀλλὰ ἔτι παρθένος ἔσται, πρὸς αὐτὸν χρωσθεὶ τὸν ἀνδρα. Quod & Cinna scripsit in l. 6. ff. de R. N. eum sc. qui absentem accepisset uxorem, deinde rediens à cenâ juxta Tiberim periisset, ab uxore, lugendum esse. Imò etiamsi nondum in mariti cubiculum venerit, jam videtur nupsisse l. 15. ff. de C. & D. vid. Bosche. dikæogam. l. 4. n. 53. (Tractat. Tractat. tom. IX. p. 92.) Dissent. Freher. de infam. l. 3. c. 17. n. 10. p. m. 468. Hoc tamen largimur, multò faciliùs relaxationem temporis elugendi ob sponsalia olim contracta impetrari posse, quàm matrimonio reverâ consummato

In sponsis  
de præsen-  
ti luctus  
juri civ.  
non planè  
incognitus

Tempus  
lugendi  
ob uxores.

Th. IX.

Quanto autem tempore vir uxorem lugebit? hoc ex animi



animi patientiâ & mariti affectione desumendū, ut aliàs loquitur Jctus in l. 23. ff. de his qui not. inf. Imò Jure Civ. clarè dicitur, *viram non lugere uxorem suam, l. 9. ff. d. t.* Concordat cum hoc Seneca Ep. 8. ubi nullum viris legitimum tempus esse dicit, quia nullum honestum est. Jung. l. consensu 8. §. 5. C. de Repud. quod & de Germ. notat Tacitus: *Fœminis lugere honestum est, viris meminisse; de Mor. Germ. c. 27.* Ast concessio nullum Jure Rom. luctui destinatum esse tempus maritis, cum cesset ratio tum ab incertitudine prolis, tum à reverentiâ desumtâ, (nec enim uxorem suam tam reverenter vir observare tenetur, quam par est virum ab uxore suâ observari arg. l. 14. §. 1. in fin. sol. matr. l. 4. C. ad St. Tert. l. un. §. 7. C. de R. U. A.) ecquis tamen non indecorum judicabit, planè non lugere quàm olim individuum vitæ sociam receperas? l. 1. ff. de R. N. §. 1. J. de Patr. Pot. & quod indicium levitatis majus, quàm memoriam, præcipuè honestæ, unâ cum funere domo efferre, & thorum quasi calentem alii aperire? & licet infamiæ notam non incurrat maritus secus faciens, apud viros tamen graves levitatis & incontinentiæ insimulabitur: quod Sereniss. LLator Ordin. Provinc. Saxo-Gothanæ expressit, quando part. 1. c. 8. tit. 4. dicit: *Daß solches eine Anzeigung sey eines sonderbahren liederlichen Gemüths / und daß man des ersten verstorbenen Ehegattens wenig geachtet / auch mehr auff fleischliche Lust / als auf Erbarkeit und Zucht in der Ehe gesehen.* vid. Guth, de J. M. l. 3. c. 28. p. 581. Cypræ. de Sponsal. c. 13. §. 96. p. 610. Carpzov. Jprud. Cons. l. 2. Def. 160. Mev. ad J. Lub. l. 2. tit. 2. art. 12. n. 427. Wurfain. de differ. Jur. Civ. & Reform. Nor. class. 1. membr. 1. §. 24. p. 31.

Th. X.

Hodiè idem tempus luctui, quod olim apud Rom. ferè communiter ferè præscriptum. Sic Jure Saxon. Elector. vidua annum expectare tenetur, antequam secundo nubat, Carpz. d. l. def. 159. Idem & in Ord. Prov. Saxo-Goth. d. l. præfinitum tempus legitur. Imò de Germaniâ & Italiâ testa-

I

apud Rom.  
nullū olim.uti nec ap.  
Germ.Uxorem  
defunctæ  
planè non  
lugere, le-  
vitatis in-  
dicium.Elugendi  
terminus  
etiam ho-  
diè vidue  
præscri-  
tur plus.



*Jur. Sax.* tur Cypr. *d. l.* mulieribus ad elugendum integrum annum  
*In Germ.* constitutum esse. In Jure tamen Statutario Norimb. hinc in-  
*& Ital.* signem deprehendes differentiam; in quo distinguitur an  
*Jur. Norib.* gravida sit ex priore marito mulier, nec ne. Hoc casu lu-  
 ctui trimestre spatium definitum; illo, elugendi tempus re-  
 stringitur usque ad editum partum, & sex insuper hebdoma-  
 das puerperii exactas. Reform. Noric. *T. 28. l. 10.* rationem se-  
 cessus à Jure Rom. vid. Rittershus. *de Differ. Jur. Civ. & Can.*  
*l. 2. c. 5.* Wurf. *d. l. n. 23. p. m. 30. & seq.* De hac tamen inæ-  
 qualitate adhuc quæri posset, quare non gravidæ indistinctè  
 trimestre spatium: gravidæ autem sex septimanæ tantum post  
 partum ad elugendum præfinitæ sint, cum sic accidere queat,  
 ut in gravidâ septem septimanæ totum luctus tempus absor-  
 beant? Jure Elector. Palat. *T. 14. der Ehegerichts-Ordnung.*  
*Palat.* viduæ decem menses ad elugendum determinati. vid. Ritters-  
*Jur. Belg.* hus. *Expos. Nov. P. 4. c. 3. n. 19.* In Provinciis Belgii fœder. vi-  
 duæ maritorum memoriam annum & sex hebdomadas spe-  
 ciali habitu nigro prosequuntur *descript. Belg. fœder. lib. 9. c. 4.*  
*Jurib. par-* *p. 251.* In genere autem, ubi Jure Statut. vel consuetudine  
*ticularib9* brevius tempus viduarum luctui non est determinatum, in-  
*deficienti-* hæremus Juris Civ. Rom. ceu in naturali ratione, honestate,  
*b9 inha-* & æquitate fundati, sanctioni, uti & aliàs jura statuaria ex Ju-  
*remus Juri* re Rom. suum petere solent supplementum vid. Mascard. *de*  
*Civ.* *commun. Interpr. Statut. concl. 2. n. 86.* Bruning. *de Var. Uni-*  
*vers. Specieb. conclus. 52.* Mey. *ad Jus Lub. quest. prælim. 7. n. 40.*  
*& seq. Carpzov. Decis. 163. n. 5. & 6.* Chassan. *ad consuet. Burg.*  
*Rubr. 4. §. 6. verb. Anciens. n. 11. p. 704.*

## Th. XI.

*Hodie mul-* Idem & de tempore luctus maritorum dicendum, qui,  
*tis in locis* nî Statutis localibus, aut more recepto certo ad elugendum  
*& maritis* tempori alligati sint, Juri Civ. de quo supra, rectè inhærent.  
*elugendi* quamvis hisce quoq; comuniter certum præscriptum spatium,  
*uxores spa-* uti de Galliâ & Germaniâ testatur Cypr. *d. l. quod vidui suas*  
*tium præ-* *uxores integrum annum lugere soleant.* In multis tamen Ger-  
*finitum.* manicæ locis aliter observatur. Sic Jure Sax. Elect. *in Ordin.*  
*Matrim.*



*Matrim. de A. 1624. puncto 5. §.* Was endlich Wittber und Wittben anbelanget &c. semestris luctus, antequam ad vota secunda transeant, injunctus legitur. v. Carpzov. *Jprud. Consist. l. 2. def. 160.* Simile Statutum est in *Ord. Prov. Saxo-Goth. P. 1. c. 8. tit. 4.* ita tamen, si prægnantes habeant causas, quare ad iterata vota in hoc spatio progrediantur, ibi: Die kleine Kindlein haben/ oder sonst ihrer weitläufftigen beschwerlichen Haushaltung wegen zur andern Ehe genöthiget werden/ sollen nach Verfließung eines halben Jahrs/ nach des Ehegattens Absterben sich anderweit einzulassen unverbothen seyn. Unde colligi videtur, regulariter longiorem luctum maritis esse præfixum. Jure Norimb. l. *supra alleg.* trimestre spatium ad elugendum maritis est determinatum. Jure verò Elect. Palatino, semestre. v. Rittershus. *d. l. n. 21.* Wurf. *d. l. n. 26. p. 31.* In Belgio fœder. annus & sex hebdomades itidem marito determinatæ. *Descr. Belg. fœd. d. l.* Hoc singulare quod in civitate Chubdâ quæ est in finibus India, conjux Præfecti mortem, lege ita jubente, perpetuò lugeat, nec unquam à sepulcro recedat pullâ induta veste & capite novaculâ raso. vid. Pet. Tholos. *Synt. jur. un. l. 2. c. 14. n. 13. p. 37.* Sic & Germanorum uxores olim uno matrimonio contentæ, perpetuum luctû in viduitate servabant. Tac. *de M. G. c. 19.*

## Th. XII.

Cum autem luctus conjugum invicem præcipuum effectum suum exferat in dilatione secundarum nuptiarum, quid de sponsalibus dicendum, an hæc contrahi queunt sine metu pœnæ luctûs tempore durante, non immeritò quaeritur? Sic statuit Freher. *d. tr. § loc. n. 11. p. 468.* quod equidem juri civ. Rom. consentaneum, l. 10. §. 1. ff. *de his qui not.* Periculosum tamen videtur celebrationem sponsalium concedere, nec sine ratione ait Brunnem. *ad l. 1. § 2. C. de Sec. Nupt. Incertum esse ad quam lineam amoris* (de lineis hisce amoris v. Kornman. *tr. de lin. amor. seu comment in versic. glossæ: visus, colloquium, convictus &c.*) *suspensis nuptiis interim sint venturi nupturientes* Nihilominus, cum præsumptio honestatis, tum præ-

Saxon.

Norimb.

In Elect.

Palat.

In Belg:

In civit.

Chubdâ.

Or. an lu-

ctûs tem-

pore spon-

salia con-

trahi que-

ant?



præsentis, tum futuræ stet pro sponsis, tolerari solent. huc ta-  
 cit Paul. Jct. in l. 10. §. 1. ff. de his qui not. inf. ubi sponsam fuisse  
 tempore luctûs non nocere; ait. maximè cum jure civ. sponsa-  
 lia intelligantur de futuro, ita ut hæc, ceu spem nuptiarum sal-  
 tem inferentiâ, pœnâ infamiæ gravare, rigorosum nimis visum  
 fuerit. Hodiè tamen ubi sponsalia de præsentis non minus ac  
 de futuro recepta, non sine ratione distinguendum putamus  
 inter sponsalia contrahenda & contracta: ut illa, quantum  
 fieri potest, tempore luctûs inhibeantur, ceu benè & pruden-  
 ter observatum in Ord. Provinc. Saxo-Gothan. dict. loc. ibi:  
 Keines Wegs vergönnet seyn/sich anderweit in Ehe-Gelöb-  
 nis einzulassen/es sey dann das Trauer-Jahr gänglich vor-  
 über; cum festinatio talis à suspicione adulterii, veneficii &  
 inhonestæ captationis mortis conjugis propè absit; imò me-  
 moria conjugis tam citò deposita injuriam manibus defuncti  
 inferre videatur. Coraf. l. 3. Misc. c. 1. n. 15. & ut loquitur Imp. Ju-  
 stinianus in Nov. 22. c. 43. in fin. animam in sepulcro contristet. Imò  
 & publica honestas reclamare videtur, dum iisdem oculis,  
 quibus deflet fortè tumulandum, allicit in thalamum à priori  
 quasi calentem, noviter succenturiandum. Hoc pacto ea,  
 quæ à Brunnem. dicuntur rectè omninò sese habent. Contra-  
 cta autem quod attinet, toleranda; multâ tamen superiori  
 salvâ reservatâ, & suspensâ post transactum annum luctûs,  
 seu aliud illi præfinitum tempus, nuptiarum consummatione,  
 quod d. Ordin. Matrim. Elect. Saxon. clarè disponit: ibi:  
 und vor Ausgang des Trauer-Jahrs sich wieder zu verehli-  
 chen oder Hochzeit anzustellen nicht Macht haben soll.  
 vid. Carpzov. Jprad. Conf. l. 2. Def. 161. Cypr. d. tr. c. 13. §. 88.  
 num. 1. vid. quoque eleg. Ord. Eccles. Hassiac. c. 10. p. 471. ibi:  
 soll derselbige mit unnachlässiger Geld-Straffe alsbald be-  
 legt / und nicht ehe/ als wenn die abgetragen und die vorbe-  
 stimte Zeit verlossen / durch den Prediger aufgekündiget /  
 und zum Kirchgang gelassen werden. Naurath. de vit. &  
 mort. hom. theorem. 85. p. 187. & seq. Maximè autem hoc ve-  
 rum



rum in sponsalibus de præsentī. quam quidem distinctionem, de præsentī scil. & futuro, insuper habendam putat Freher. *dict. loc.*

## Th. XIII.

Quamvis autem uxor intra annum lugubrem partum ediderit, elugere nihilominus tenebitur, antequam ad nuptias iteratō accedere queat. Continuum enim tempus luctus lege præscriptum observare debet, l. 8. ff. de his qui not. infam. nullis detractis diebus, ut est natura temporis continui, ceu supra dictum; ergō nec residuo post partum tempore. Nec enim ratio prohibitarum nuptiarum solum consistit in turbatione sanguinis seu familiæ: sed & in reverentiâ marito ejusque memoriæ debitâ, de quibus causis junctim sumendis itidem supra actum. Hinc utrâque post partum nondum cessante, prohibitio meritō obtinebit. Tum autem deficere voluntas LLatoris quoad obligationem ex cessatione rationis censetur, si sola illa olim movit LLatorem, Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 16. §. 22. unde si plures sint rationes, quibus LLatoris voluntas nitatur, deficiente licet unâ, residua ad sustinendum legis obligationem sufficiet. §. 2. Inst. de Adopt. arg. §. 6. & 9. Inst. de Nupt. Vasqu. *Quæst. Illustr.* l. 1. c. 25. num. 14. Tiraquell. de *Causa Cess.* P. 1. n. 139. Sichard. ad l. 1. & 2. C. de secund. nupt. n. 7. Nec obst. l. 11. §. 2. de his qui not. infam. per quem textum movetur Rævard. l. 1. *Varior.* c. 20. p. 530. & seq. Textus siquidem loquitur non in genere, sed in specie de his, quos more majorum lugere non oportet, ceu ex seq. §. 3. d. l. constat; hos equidem viduæ tempore eo, quo uterum gestabant, elugebant; hoc deposito, hincque cessante incertitudine familiæ, luctus ulterior, ob subjectum luctu indignum, cessabat. Ex hinc itaque, ceu exceptione, firmabitur regula in casibus non exceptis, l. 4. §. fin. ff. de penn. legat. l. 12. §. 43. in fine ff. de fund. instr. l. 12. de Judic. l. 20. §. ult. ff. de Test. milit. Decius ad l. 1. ff. de R. J. num. 21. Wesembec. Part. 3. Conf. 148. num. 106. & 113. Vasqu. *Contr. Illustr.* l. 2. c. 51. n. 75. Mund. Vol. 2. Confil. 7. num. 18.

Elugere  
tenebitur  
vidua edi-  
to licet  
partu.





Terminus  
elugendi  
parentes.  
ap. Roman

Domesticum luctum etiam ob parentes suscipi, cap. 3. ex Paulo Jcto ostensum, ita, ut hi non solum lugeri, sed & elugeri debeant. Nam verbum quod ibi habetur: *possunt*; esse idem quod *debent*, probatum ex Guth. *de J. M. l. 3. c. 28. p. 577.* Nolumus hic otiosè repetere, quinam per Parentes intelligantur, ex supra dictis enim hæc repeti & huc transferri possunt. De luctu quidem ipso apud Rom. ob honestatem & pietatem parentibus debitam, non videtur dubitandi ratio: sed an elugeri debeant, i. e. an etiam certum tempus usque dum deponantur luctus indicia, expectandum sit, illud forsitan quæri posset? Sanè si summo illi Juris Antistiti Cujacio fides circa restitutionem & integrationem sententiarum Pauli, & elugere omninò necessum fuit, idque anno. Sic enim inquit: *Parentes anno lugeri possunt, i. e. debent*: ex pœnâ enim infamiæ subjectâ, apparet liberi id non fuisse arbitrii. Unde rectè dicit Jac. Guth. *d. l. p. 576.* lapsus esse Jac. Rævard. (qui Lipsio Belgarum Papinianus) *l. 1. Varior. c. 20. p. 530.* quod elugendi rationem ad solas nuptias pertinere, seu ad mulierem tantum tempus elugendi spectasse asseruerit. Nam & Parentes, uti ex Paulo Jcto modò dictum, elugendi fuerunt, quod confirmatur auctoritate Cicer. qui *l. 9. Epist. 20. Patriam*, inquit, *eluxi, & diutius, quam mater ulla unicum filium.* item ex illo Capitolini in M. Antonino, qui proficiscens ad bellum Germanicum subipsis profectiois diebus filium nomine Verum Cæsarem Septennem amiserat, qui non plus quinque diebus lugens, contra morem fecisse refertur. Unde tutò inferitur: si Parentes liberos eluxerunt, multò magis liberi quoque parentes suos eluxisse præsumuntur, nî immotam illam in Parentes pietatis & reverentiæ rationem persundare velis. Quod si autem Rævardi opinionem ad tempora Justiniani, seu Triboniani manus sæpè ex potestate sibi concessâ, Constit. *Tanta §. II. de Confirm. Digest.* violentas veterum Codicibus inferentis, vid. Hagemeyer *de Auctorit. Jur. Civ. c. 3 p. II.* tempora referre, & sic illam servare malueris, excu-



excusandus erit. Sic enim juxta Gothofr. ad l. 23. de his qui  
not. lit. o. luctus magis videtur esse voluntarius, quam ne-  
cessarius, scil. ratione determinationis temporis.

Th. XV.

Apud Ebraeos luctus ob parentes videtur fuisse men-  
struus, sic enim de captivâ, Deut. 21. vers. 13. & flebit patrem  
suum, matremque suam mense integro. Ratione tempo-  
ris, cum quoad initium, tum progressum gradus in luctu ob-  
servati fuerunt. v. D. Geier. d. tr. c. 2. §. 3. p. 12. & seq. unde  
forfan explicandum quod apud Joseph. de Bell. Judaic. lib. 2.  
c. 1. in pr. dicitur: Diebus septem in lugendo patrem consumptis  
&c. hinc septiduus luctus videri poterat. Et quid Gentes  
hasce moratiores recenseamus, ecce in gente barbarâ in pa-  
rentes reverentiam & nullo pretio redhostiendum parentum  
amorem, Chinesium scil. qui inviolabili consuetudine ser-  
vant, ut luctus patris matrisve in integrum protrahatur tri-  
ennium. Causam hujus moris prolugendi hanc reddunt,  
ut nempe suis parentibus, qui primo ætatis triennio se ulnis gesta-  
runt, vicem rependant. v. Trigaut. descr. Chin. c. 7. p. 178. Au-  
di egregium de Gente barbarâ Japonensium testimonium Va-  
renii descr. Regn. Japon. part. 1. p. m. 132. & morem in barbarâ  
Gente minimè barbarum: liberi, inquit, parentes suos magnâ  
habent reverentiâ, & omnium officiorum genere prosequuntur,  
certò persuasi, quod Dii immortales, ut ajunt, contrarium agen-  
tes hand passuri sint impune abire. Quolibet mense die eo, quo  
Parentes mortem obierunt, nihil comedunt eorum quæ animata  
fuerunt, fructibus tantum telluris victitant; unde apparet ter-  
minum luctûs certo modo demonstrati, cum vitâ demum iis  
terminari. Inter Christianos & maximè Germanos tempus  
elugendi, licet non ceu necessarium liberis injungatur, sed pie-  
tati relinquatur, intra annum tamen non nisi ex gravissimâ  
causâ luctûs signa deponi solent. Apud Batavos tempus  
annuum & sex septimanarum elugendo constitutum. descr.  
Belg. fœd. l. 9. c. 4. p. m. 251.

Ebraeos.

Chinens.

Japonens.

Inter Chri-  
stianos.

Th. XVI.





Terminus  
luctus ob  
liberos ap.  
varios va-  
rius.

Ob liberos luctum domesticum suscipi solere, nemo, te-  
nerrimum illum qui parentes inter & liberos intercedere so-  
let amorem considerans, forsan ignorabit, Aristot. 8. *Ethic.* 12.  
& cum pars videantur Parentum, l. 1. ff. de *Vent. insp.* l. 8. §.  
3. & ibi gloss. verb. *magis ff. quod met. caus.* l. fin. in pr. & ibi Go-  
thofr. C. de *Curat. furios.* Tiraquell. ad l. *si unquam C. de Revoc.*  
Donat. in *præfat.* n. 7. Mund. vol. 2. *Consil.* 17. num. 7. & seq. D.  
Eichel de *Jure*, quo Parent. & liberi sibi invicem natur. sunt  
*obstricti part. poster. th.* 14. & seqq. quis quæso sine dolore par-  
tem sibi abstrahi patietur? Romani olim quod naturæ con-  
sentaneum lege sanxerunt: Sic Numa Pompilius Rex Rom.  
teste Plutarch. in *eius vitâ*, puerum quidem trimo minorem inde-  
fletum voluit, majores natu tot mensibus lugendos statuit, quot  
quisque animos vixisset, neq; tamen ultra decem menses; qui  
longissimo luctui præfiniti erant. Paulus Jus l. 1. *sent. tit. ult.*  
ceum restituit Cujac. supra d. l. 21. *Obs.* 12. alium terminum  
præfigit, quando ita dicit: *fili majores sex annis, anno lugeri*  
*possunt, minores mense idq; sub infamiae pœnâ.* Sic & Et ei post  
quinquennium vel sexennium infantes lugebant, de quo vid.  
D. Geier. *sepè d. tr. c. 3. §. 5. p. 29. & seq.* Apud Belgas termi-  
nus elugendi annus & sex septimanæ Belg. *foed. descript. d. l.*  
Liberos autem cum dicimus, non tantum primi, sed & ulte-  
rioris gradus in infinitum descendentes l. 56. §. 1. & l. 220. §.  
3. ff. de *V. S.* ibiq; Gædd. & sub filio & filiam; & sub liberis u-  
trumque sexum comprehendimus l. 16. de *Test. Tut.* l. 1. ff. de *V.*  
S. & masculinum hîc, ceum in favorabili etiam concipit fœmi-  
ninum Barnab. Brisson. de *Formul.* l. 1. p. 11. Gædd. ad d. l. 1. n.  
39. & seq. Knipschild. de *Fideicommiss. Famil. Nobil.* c. 1. n. 43.  
quod autem olim ratione temporis fuit necessitatis, hodie  
fermè voluntatis, & liberi arbitrii, ut jam quisque pro animi  
patientia liberos lugeat, nec elugendo terminum habeat de-  
terminatum.

Th. XVII.

Quod autem quantum ad luctum domesticum Paul.  
Jus



J&us d. l. cognatos proximiori gradu lugendos velit, & elu- *Terminu*  
gendos octo mensibus; hoc equidem honestatem aliquam *elugendi*  
redolet: durum autem videtur, quod pœnam infamiæ in *ob cogna-*  
transgressores lex olim constituerit. Quicquid tamen ejus *tos.*  
sit, hodiè quoad elugendi terminum in desuetudinem abiit,  
cuius relicto arbitrio libero, quousque vel extendere, vel  
coarctare hunc luctus terminum velit, ut & hîc cujusvis ani-  
mi patientia & pietas consulenda veniat: quod & Ulp. J&us  
in l. 23. ff. de his qui not. infam. indigitat, quando dicit: *Pa-*  
*rentes & liberi utriusq; sexus, nec non & ceteri agnati, vel cog-*  
*nati secundum pietatis rationem, & animi sui patientiam, prout*  
*quisq; voluerit, lugendi sunt; ex interpolatione scil. Triboni-*  
*ani, de quo supr.*

## Th. XIX.

Ob calamitatem itidem, sive propriam sive alienam lu-  
ctum domesticum locum habere, supra assertum. Cum au-  
tem quoad elugendū nullum hîc inveniamus terminum præ-  
fixum, quemlibet suo arbitrio relinquimus. Romanis tamen  
moribus accusato, ut & cognatis ejus signa luctus, ut vestis  
squalida, coma & barba promissa toto tempore accusationis  
durabant, ceu supra notavimus; colligi id potest ex l. 15.  
§. 27. & l. 39. ff. de Injur. Theodor. Colleg. crim. c. 2. aph. 16. n. 4.  
pag. 223. Ravard. Varior. l. 3. c. 6. p. 599. & Conjectan. l. 1. c. 20.  
p. 36. & seq. Agell. N. A. l. 3. c. 4. Lips. Elector. l. 1. c. 13. pag.  
m. 335.

## Th. XIX.

Ad publicum luctum itaque, ejusque terminum à quo,  
& ad quem, progredimur. Neminem civium, qui suam ex  
publicâ salute dependere rectâ ratione ductus autumabit, fo-  
re arbitramur, quem publica calamitas undecunque illa tan-  
dem orta, non tangat, animumque ejus mordeat, ut hinc in-  
trinsecum concipiat luctum & mœrorem. Respublica enim  
incolumis & privatas res facillè salvas præstat, publica pro-  
dendo, tua nequicquam serves, Liv. l. 26. c. 26. Aristot. l.  
Ethic. 2. & 7. Polit. 1. & 2. Mev. prodrom. Iprad. Gent. commun.

K

Inspect.

*Ob calami-*  
*tatem an*  
*& termino*  
*luctui deso-*  
*nitus?*

*In publico*  
*luctu.*



*Inspect. s. n. 19. p. 285. & seq.* De hoc tamen luctu intrinseco, ut in domestico quoque supra diximus, nobis hic sermo primario non erit: hic enim animi patientiam & affectum in patriam & salutem publicam pro fundamento habens, uti hoc apud varia ingenia variat, varium quoque cuilibet terminum exprimit. Sed cum dolor hic per externa quoque prodatur, quamdiu hæc durent, & quando incipiant, hic nostræ præcipuè disquisitionis. Luctus autem hujus demonstratio vel ob mortem summi alicujus in Republica, & qui τὸ κοινὸν habet, aut membri alicujus egregiè de publico bono meriti: vel ob calamitatem aliam publicam suscipitur: idque vel ad jussum superioris, vel ad affectum spontè erumpentem, & jussum Principis avertentem. Ob mortem illius, qui clavum Reipub. summus tenuit, ubi publicè luctus per externa signa declarandus indicitur, patet, ante mandati promulgationem nullum esse luctum, æquè ac ante legis promulgationem nulla ejus obligatio, *l. 9. C. de LL. Pufendorf. Element. Jprud. l. 1. Def. 13. §. 3. Horni. de Subject. Jur. Nat. c. 5. n. 2. Zœf. ad ff. de LL. num. 20. Hahn ad Wef. de LL. n. 7. confirmat illud Carpzov. Jprud. Consist. l. 2. def. 157. paulò ante fin. sententia subjecta. ibi: Dies weil aber gleichwol erwehnter massen / bey ieziger Traur-Zeit solches alles einzustellen / gestalt dann das Churfürstl. gnädigste Edict hiervon öffentlich abgelesen und angeschlagen worden &c.* Quod uti in Principe ipso lugendo observatur: sic nec minus in conjuge Principis obtinet, ceu ex Carpzov. *l. 2. Def. 262.* ibique annexo Rescripto patet. Quod de hisce dictum, idem obtinebit in aliis quoque sive consanguinitate, sive affinitate summis in Repub. junctis. Idem quoque de his qui vel in togâ, vel sago Rempub. juvant, ita ut si luctus ob hos publicus injungatur, non ante ad ejus testificationem teneantur subditi, quam is vel per proclama Edictum, vel more hæctenus recepto vel præscripto indictus, & ad notitiam subditorum, & quibus luctus ex his imperandus, perlatu fuit. Quod si affectus & amor in lugendum jussu superioris haud expectet, quem terminum à quo elegerint lugentes,

*indicto*

*ob mortem  
summi in  
Repub.  
terminus  
à quo.*

*Item & ei  
sanguine  
vel affini-  
tatis jun-  
ctos.  
nec non ob  
viros in  
Rep. illu-  
stres.  
Terminus  
à quo ubi*



gentes, jam per se sine solemnī promulgatione patet. Varia *spontaneus*  
 hujus apud Romanos exempla peti possunt ex Jac. Guth. *de publicus*  
*J. M. l. 3. c. 29.* effectus tamen inter spontè susceptum & pu- *luctus*  
 blicè indictum, quoad pœnam luctûs neglecti longè erit di-  
 versus, de quo infra. Ob calamitatem publicam aliam, ubi  
 vel luctus ad jussum superioris, ut in exemplo Ninivitarum.  
*Jona c. 3. v. 6.* & aliis supra relatis, vel spontè assumitur, ter-  
 minus à quo, eo, quo ante, dijudicandus modo.

## Th. XX.

Accedimus jam ad terminum ad quem; quousque scil.  
 luctus publicus duret. Unum eundemque terminum hîc  
 præfinitum non reperimus. Mortuo Principe, seu qui sum-  
 mam in Repub. habet potestatem, apud Romanos, in luctu  
 indicto tempus quoque elugendo determinabatur: diversum  
 tamen sæpius ratione sexûs. Sic enim in Augusti morte ap.  
 Dion. l. 56. luctus publicè decretus legitur, ut eum viri dies  
 aliquot, mulieres verò annum integrum lugerent. Ob Drusi  
 mortem terminum quoque luctui præfixum ex Sueton. *Tiber.*  
*cap. 12.* patet, dum longius justitium inhibitum legi-  
 tur. Et quando Dio de M. Antonino Philos. mortuo *in ejus*  
*vitâ circa fin.* dicit, *eum magnis honoribus affectum fuisse.* & Ca-  
 pitolin. de M. Antonino Pio defuncto *in ejus vitâ circa fin. decre-*  
*ti,* ait, *ei sunt omnes honores, qui optimis Principibus ante delati*  
*sunt;* omninò probabile est, inter hos luctum etiam compu-  
 tandum esse, durantem, quò post fata Optimi Imperatoris  
 Augusti duravit, i. e. anno. An autem luctus viro-  
 rum, qui suprâ aliquot dierum apud Roman. dictus, fuerit  
 septiduus, de quo Herodian. *in vit. Anton. & Gete l. 4. c. 2. n. 6.*  
 non asserimus. maximè cum iisdem diebus & luctus matro-  
 narum fuerit inclusus. Morem quidem ille communem hunc  
 fuisse asserit. decretum tamen longiorem luctum injungens  
 non excludit; quod stabiliri videtur ex Dion. *in August. ibi:*  
*Viri in luctu (ob Augustum sc.) fuerunt per paucos dies, ut erat*  
*consuetudo; matronæ eum decreto Senatus annum luxerunt. p.*

*Terminus*  
*ad quem*  
*in luctu ob*  
*Principem*  
*indicto.*  
*ap. Roman*  
*variq. præ-*  
*cipue rati-*  
*one sexûs.*





Ob Augu-  
stas quoq;  
elugendo  
tempus de-  
terminatū  
legitur.  
apud Græ-  
cos.

Chinens.

Turc.

Germanos

In sponta-  
neo luctu  
publico ter-  
minus ad  
quem.

m. 202. Ob Augustas quoque luctum annuum decretum legimus apud Dion. l. 58. Mortuâ siquidem Liviâ, conjugem Augusti, luctum mulieribus annum edixit Senatus. Ob Drusillam sororem & conjugem Caligulæ, iustitium & luctum is indixisse legitur, procul dubio non brevioris quam ob Augustas alias, Suet. in Calig. c. 24. Græci ob Regem luctum publicum decem dierum spatio determinarunt: gradibus tamen in luctu observatis, ut per triduum forum omne paleis conspersum siluerit, nec in eo emere aut vendere quicquam fas fuerit; Iustitio autem in decem dies indicto, v. Ubbo Emm. descr. Rerumpub. Græcia P. 1. p. 279. & in genere undecim dies luctui præfiniti erant, ut ex Plutarcho Kirchman. d. l. statuit. Apud Chineses in Regis & Reginae, quæ legitima fuit, funere, legitimum lugendi tempus trienne est, quaquâ verum regni fines patent: quod quidem hodiè mutatum, ita ut mensem unum regnum universum mœrorem de Regis aut Reginae morte conceptum lugubri cultu profiteatur, Trigaut. de Regno Chin. c. 7. p. 179. Turcæ quibus saltem ob Imperatorem luctus, intra brevissimum spatium scil. pompæ funebris illum deponunt. Montalban. Rev. Turc. Comment. p. 48. Hodiè in totâ fortè Germaniâ, item & alibi ob Regis, Principis, horumque conjugum mortem, annuus ferè luctus indici solet: ob consanguineos pro animi patientiâ mox publicè indicitur, mox privatim tantum ostenditur, quem communiter dicimus *Commer-Trauer*.

Th. XXI.

Spontè suscepisse lugubria, stante Republicâ, Romanos, invenimus ob Brutum Consulem & Rectorem Reipub. Liv. l. 2. quem matronæ depositis auro & purpurâ annum luxerunt. Alia exempla pete ex iis, quæ supra c. 3. dicta. At tempus quousque hic luctus duraverit, certum determinare haud possumus. Probabile pro affectu tempus quoque variâsse. Viri tamen breviori spatio quam fœminæ luctui indulgisse videntur. De termino apud Ebræos usitato vid. D. Geier d. l. Kirchman. de F. R. l. 4. c. 10. p. 409. Ob viros quoque tem-



tempore belli vel pacis claros, luctum publicum indictum, imò & sponte susceptum supra c. 3. ostensum. Tempus autem elugendi vel à superioris mandantis, vel ex lugentium affectu, item ex conditione & qualitate lugendi, præcipuè dependet. Ob calamitatem publicam luctum injungi, item & sponte suscipi ibidem sup. c. 3. dictum. Terminus autem hujus luctûs merè arbitrarius pro determinatione & jussu superioris, vel lugentium affectu & mœrore ex casu lugendo concepto.

*Item ob calamitatem publicam.*

### CAPUT SEXTUM.

Pœna non lugentium. quæ vellege definita, vel arbitraria. utraque pro luctûs, sexûs, personarum varietate varia.

#### THESIS I.

**N**Ecessarium luctum alium, alium voluntarium, arbitrarium, seu sponte susceptum supra diximus. Illum, necessarium sc. subdividere posses in repentinum, ob calamitatem inopinatam indictum; & ordinarium, seu per legem latam, ubi casus lugendus existit, sine novâ lege, mandato vel edito suscipiendum. Uterque habet ob omissionem vel pœnam lege determinatam, vel minus. Quantum ad repentinum, pœnam omissionis seu minutionis adjectam habentem, hanc exsolvendam vel sustinendam esse, indubium; sive in multa, sive famæ amissione seu afflictivâ corporis, vel capitali pœnâ consistat. Liberum siquidem est, superiori luctum injungenti, quânam vi coactiva suam velit munire legem & calumniantium iniquitatem reprimere, ita ut vel pœnam capitalem ob luctum neglectum imponere queat. Hæc enim est

*Necessariq  
luctus est  
vel repen-  
tinus vel  
ordinariq:  
Ob illum  
omissû vel  
minutû si  
pœna lege  
presinita,  
ea solven-  
da:*



vis & virtus summi imperii, ut quoslibet à &us civiles, etiam suâ naturâ indifferentes, sub pœnâ mortis prohibere vel injungere queat. v. Magnif. D. Lyncker. in Colleg. Msc. ad Huber. de Jure Civit. l. 2. c. 11. §. 9. jung. Grot. de Jure B. & P. l. 1. c. 4. §. 7. num. 2. qui tamen sibi non constare videtur l. 2. c. 1. §. 14. rectè ob hoc à D. Ziegl. in not. ibid. notatus. add. Pufend. Elem. Jprud. Univers. l. 1. def. 17. §. 4. Exempla varia suppeditat Sacra pagina Exod. c. 19. v. 12. & 30. v. 33. Josuæ c. 7. v. 13. & 24. 1. Sam. 14. v. 24. & seqq. & passim; ut haud opus videatur ad rigorosum & sanguinarium Jus militare abire, de quo Pet. Papp. Corp. Jur. milit. im Holländischen Kriegs-Recht. art. 3. lit. F. p. m. 58. & seq. item d. art. lit. K. p. 74. item lit. N. p. 90. art. 12. 21. 22. 32. & passim. v. Bœcler. ad Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 21. §. 14. p. 24. & seqq. Exemplum pœnæ capitalis ob luctum repentinum intermissum suppeditat Suet. in vitâ Calig. c. 24. ubi Drusillâ fato functâ risisse, lavisse, comâsse cum parentibus aut conjuge, liberisve capitale fuisse dicitur. Prudentiam autem rectoriam hic ostenderit an minus, à loco hoc disquisitionis aliena.

## Th. II.

*Sin, arbitrarie locq* Quod si luctus simpliciter sine certâ pœnâ, ubi is omnisus seu insuper habitus, indictus, locus erit arbitrariæ pœnæ. juxta communem namque Dd. traditionem, quando pœna certis legibus definita non est, habet in quo Judex suum exerceat arbitrium Jason. in l. 4. n. 17. ibi: licet aliàs ubi pœna &c. ff. de Jurisd. Tiraqvell. de pœn. leg. temp. caus. 31. num. 34. Menoch. A. J. Q. cent. 1. cas. 86. num. 8. Carpz. Jprud. Cons. l. 2. def. 262. n. 11. Siye autem luctus ob funus ejus, qui rō nōjov Reip. tenet, siye ob hujus cognatos vel agnatos, siye aliàs ob calamitatem publ. indictus fuerit, pro arbitrio & discretione prudentis judicis ex personarum qualitate ac conditione, & pro statûs, & casûs lugendi circumstantiis, pœna vel exasperabitur, vel mitigabitur, ne durius quid quàm causa deposcit, statuatur, juxta aureum monitum Marciani in l. 11. ff. de pœn. Hoc eleganter confirmat Carpz. Jprud. Cons. l. 2. def. 157. n. fin. ibi:



Ibi: Ob ihr nun wol in denen Gedancken stehet / daß weil die Musica und das Tanzen an sich selbst nicht zu verbieten / einige Straffe dißfalls nicht statt haben möge. Dieneil aber gleichwol erwehnter massen / bey ieziger Trauer-Zeit solches alles einzustellen / gestalt dann das Churfürstl. gnädigste Edict hiervon öffentlich abgelesen und angeschlagen worden; so haben sich dahero weder Ihr und die Spielleute / noch auch die jenigen / so getanget der willkührlichen Straffe / so ihnen deswegen von der Obrigkeit aufergelegt werden möchte / nicht zu entbrechen / V. R. W. Et quando legitur, Lacones ob omisum luctum propter Regem mortuum pœnam dare, cum non adjiciatur ejus quantitas, arbitraria sine dubio intelligenda. Ubbo Emm. in descr. Reipub. Lacon. p. 278.

## Th. III.

Ad ordinarium accedimus luctum, seu qui non noviter casu lugendo existente indicitur, sed qui lege jam injunctus, observandus. Hic vel planè omisus, vel intra tempus statutum depositus, aut pœnam expressè habet determinatam, aut fecus. Cum autem variæ supra relatæ personæ, ob quas leges luctum injungunt, videbimus de pœnâ in omittentes constitutâ: Conjugum luctum invicem honestum & decorum esse, nemo forsan cum ratione negaverit: utriqve tamen non eodem modo & ad idem tempus is injunctus, sed multò duriores leges uxori, quam marito præscriptas hodiernum observamus. Jus Roman. sat gravem mulieribus non elugentibus suos maritos pœnam constituisse videtur, dum infamiâ juris illas notavit: (quæ longè durior illâ quam olim Numa Rex Rom. teste Plutarch. in ejus vit. sanxit, ut si ante decem menses mulier nuberet, prænantem vaccam immolaret, cui Polydor. Vergil. l. 6. de invent. rer. c. 9. subnectit: quod institutum si hodiè cum alibi, tum in nostrâ Angliâ servaretur, ratos utique haberemus de armentis vitulos, cum bona pars viduarum mulierum non exspectet, dum tempus illud ab obitu virorum

Ob ordinarium pœna determinata varia pro personarum lugendarum varietate

Viduarum non elugentium suos maritos pœna jure Rom. Infamia.

pre-



prætereant.) imò factum hoc tam probrosum Romanis habitum, ut ne expectatâ quidem sententiâ declaratoriâ jus suum exseruerit effectum. *l. 1. ff. de his qui not. inf. l. 15. C. eod. l. 1. & 2. C. de Sec. nupt. l. 4. C. ad SCtum Tertull. Nov. 22. c. 22. Hahn. ad Wesenb. de his qui not. infam. n. 5. Hillig. ad Donell. l. 18. c. 7. C. Sichard. ad l. 1. & 2. C. de Sec. nupt. n. 10. ubi tñ sit in l. 1. C. d. t. hunc tribuit effectum, ut sententiâ judicis non sit opus. Rationes, quare tantum ad elugendum sit præfixum spatium, supra c. 5. th. 5. sat graves relatæ, unde nemini rigida nimis pœna videri debet: maximè si attenderit ad decus ex familiarum certitudine in totam Remp. redundans. Quàm curiosi autem fuerint Romani in conservando splendore & certitudine familiarum, neminem, leviter saltem in jure Rom. ne dicam historiis versatum, fugere potest; unde eleganter Ulp. in l. 1. §. 13. de Ventr. inspic. publicè interesse dicit, *partus non subjici, ut ordinum dignitas familiarumq; salva sit, arg. §. 3. Inst. de Leg. Agnat. Success. Pet. Peck. de Testam. Conjug. l. 4. c. 1. n. fin. Decian. Consil. 1. n. 290. & Consil. 33. num. 21. vol. 1. Mund. vol. 2. Conf. 29. n. 35.* Non autem contenti fuerunt Romani infamiâ mulierem non eluentem adpersisse, patrem quoque notatum voluerunt, qui intra tempus luctûs filiamfam. elocat, sc. si sciverit tempus præterlapsum nondum esse, ne ignorantia puniatur. *l. 1. & 8. ff. de his qui not. inf.* Hæc ignorantia an intelligenda sit de morte generi; an verò de tempore mortis, ubi certum generum esse mortuum, disceptatum vide apud Hillig. ad Donell. d. l. p. 293. & seq. qui l. 8. d. t. putat intelligendam de ignorantia mortis: quam opinionem communiter in scholis Hispanorum receptam dicit Francisc. de Amaya l. 1. Obs. Jur. c. 2. n. 6. Ipse tamen illam non probat n. 7. & rectè quidem: hoc enim suadet tum l. 1. d. t. ibi: *cum mortuum esse sciret;* & statim subjicitur: *infra id tempus.* tum l. 8. d. t. ubi eadem fermè: ita ut sit sensus: si focer sciens mortem generi, justo errore ductus, annum, quo elugere moris erat maritum, præterlapsum esse putaverit, & ignoranter sic filiamfam. in matrimonium alteri collocaverit, infamia locum*

quâ & pater notatur qui sciens filiamfam. viduam intra an. luctûs elocat. expl. l. 8. ff. de his qui not. inf.



cum non habebit, ne ignorantia puniatur. Filia autem in *filiaf. autē* potestate constituta jussui patris obtemperans non notatur, *obtempe-* l. 11. §. fin. ff. d. t. cum non dicatur peccare, quæ mandato su- *rans non* perioris obtemperat, l. 157. l. 167. §. 1. l. 169. ff. de R. J. Videri *notatur.* quidem posset, quasi uxor si se prægnantem sciat, itidem sit notanda; quia verò leges generaliter loquuntur, & obtemperantem veniã dignam pronunciant, d. l. 11. §. fin. distinctè respondere hîc non licebit, ne lege non distinguente nos distinguere videamur. Nec obstat, si dicas non debuit patri jubenti parere, arg. l. 157. ff. de R. J. cum in facinoribus ob atrocitatem frustrà & cum scelere patris mandatum prætendatur. At negatur ullam hîc subesse atrocitatem, ceu in homicidio, adulterio, furto & similibus apparet, quæ jure naturali ut turpia, sic & prohibita l. 42. ff. de V. S. nec ullo jussu parentum & obsequio velantur aut excusantur; utut negari nequeat, contra pudorem, maximè Jure Rom. injunctum, & magis contra leges civiles seu positivas, quàm naturales actum fuisse, ceu statuit Magnif. D. Lyncker in prælect. Mscr. ad Huber. de Jure Civitat. l. 2. c. 1. §. 12. jung. Freher. de infam. l. 3. c. 17. n. 24. & seqq. Rittershul. Expos. Nov. p. 4. c. 5. n. 13. Mæstert. de Just. leg. Rom. l. 2. dub. 8. circa fin. Eadem infamiæ poena manet *Notatur* patrem, filium, ut ducat intra annum luctûs constitutam, juben- *etiam pa-* tem d. l. 11. §. ult. item & ei permittentem vid. Freh. d. l. n. 24. ter, si filiûs *ut ducat* & seqq. notatur eadem & ducens, modo sciverit, annum lu- *viduam* ctûs nondum præteriisse; error enim facti hîc excusat, non *infra an-* forsan æquiparanda ignorantia juris, vid. Magnif. D. Struv. num lu- *etûs jubeat* Diss. de Damnif. th. 55. (quæ inter selectas Dissertat. Hahnii pri- *ma*) quoad infamiæ irrogationem dolo non æquiparetur, l. 3. §. fin. & l. 4. ff. de Susp. Tut. D. Struv. S. J. C. Ex. 19. th. 22. Bargal. de dolo. l. 5. c. 2. n. 29. item l. 3. Reg. 11. num. 16. Bronchorst. sav. cent. 3. ass. 19. Franzk. Ex. 3. qu. 8. Dissent. Vinn. ad §. 6. Inst. de Susp. Tut. item Bacchov. ad d. §. Del-Rio. ad l. 23. de R. J. p. 124. Donell. l. 16. Comment. c. 7. ibiq. Hillig. X. Coraf. Miscell. l. 4. c. 2. n. 8. & seqq. Sutholt. diff. 3. aph. ult. Cubach.

L

Quest.

Obj.

Resp.



*Quest. Illustr. Decad. 8. q. 2.* perdit tamen hæc regula suum officium, ubi lex ignorantiam Juris specialiter & facti improbitatem punit aut notat, ut hîc. vid. D. Struv. *d. l.*

Th. IV.

In pœnâ autem infamiæ mulieri ob immaturas & acerbas nuptias irrogatâ nondum subsistit Jus Roman. sed & alias addidit, de quibus *l. 1. auth. Eisdem, l. 2. C. de Sec. Nupt. Nov. 22.* Inter has primò interdicta libera bonorum administratio, contra *l. 9. C. de Judæis* & *l. 21. C. mand.* ut vidua non nisi tertiam partem bonorum suorum secundo marito in dotem dare, donare, testamento aut ullo alio titulo, transferre queat. *III. amissio bonorû l. 1. C. de Sec. nupt.* ut indirectè sic etiam viri ex interversione lucri sperati cogantur exspectare lapsum temporis determinati. (2.) amittit omnia, quæ à priori marito jure sponsalium habet. *l. 2. C. d. t. ubi Gothofr. lit. h.* qui ea explicat de donatione propter nuptias, vid. Cujac. *ad Novell. 22. p. 574. G. Pertinens* eò potiùs arrhæ sponsalitiæ & quæ alia sponsis offerri solent. (3.) Incapax redditur omnium, in testamento vel quâvis ultimâ voluntate sibi vel ab extraneo vel cognato relictorum, ob generalem & illimitatam *l. 1. & 2. C. d. t.* locutionem, frustra distinguente Salyceto *ad l. 1. C. d. t.* locum autem facit cohæredibus, aut ab intestato successoribus non existentibus, fisco. Donari tamen poterit tali mulieri, magis enim molliendæ, quàm exasperandæ & extendendæ pœnæ *l. penult. ff. de pœn. v. Sichard. ad d. l. n. 25. Rittershus. Expos. Nov. p. 4. c. 3. n. 8.* (4.) Ex mariti prædefuncti testamento acceptum non retinet, nec quicquam ex eo cum effectu capit, sed decem personis ex edicto Prætoris vocatis, quatuor scil. adscendentibus, quatuor descendantibus, duobus collateralibus, fratri sc. & sorori, juxta gradus tamen prærogativam relinquere tenentur. (5.) nemini succedit ab intestato ultra tertium gradum. (6.) amittit donationem propter nuptias, quam à priori marito habebat, tam quoad proprietatem, quàm quoad usumfructum. *auth. iisdem C. d. t.* Tutelâ quoque ulteriori liberorum interdicta tutela. *d. auth. Nov. 22. c. 40.* vid. de his pœnis Sichard. *ad*



*ad l. 1. l. 2. auth. Eisdem C. d. t. Brunnem. ad dd. ll. ibique allegg.*  
*Rittershus. d. l. Perez. ad C. d. t. Cujac. ad Nov. 22. p. 574. & seq.*  
*Mæstert. de Justit. LL. Rom. l. 2. dub. 8.*

## Th. V.

Quæ autem enumeratæ sunt pœnæ, ubi nuptiæ contra-  
 ctæ fuerunt, eæ multò magis creduntur obtinere, ubi vidua  
 intra annum luctûs stuprum passa est, ne luxuria levius quam  
 castitas puniatur, *Nov. 39. c. ult. auth. Eisdem C. de Sec. nupt.*  
 imò omnes pœnas impositas secundò nubentibus obtinere  
 in stuprum passis, & in his, quæ inhonestè vivunt, tradit Gail.  
*2. Obs. 98. n. 15. Freher. de infam. l. 3. c. 17. n. 18.* Unde ob lega-  
 tum à prædefuncto marito in testamento sibi relictum agenti  
 obstabit exceptio criminis, & applicabitur personis, de qui-  
 bus in *l. 1. C. d. t.* quæ licet antequam lucrum ad se hoc modo  
 delatum agnoverunt, decesserint, in hæredes tamen id trans-  
 mittent. v. Emanuel à Costa *ad cap. si pater part. 1. verb. lega-*  
*vit, de testament. in 6. n. 33. p. m. 319.* Amittit itidem lucra nu-  
 ptialia, quæ à priori marito habebat. *l. 2. C. d. t. vid. Garsias*  
*de Acquest. Conjug. n. 39. & seqq. Mev. ad Jus Lub. l. 2. tit. 2.*  
*art. 12. num. 424. Boër. Decis. 338. n. ult.* Expers quoque erit  
 portionis statutarix, quæ in locum donationis propter nupti-  
 as successisse dicitur, Cothman. *Consil. 50. n. 46. & seq. vol. 1. ex*  
*ratione sc. Nov. 39. cap. fin. v. Mev. d. l. n. 416. Gail. 2. Obs. 98.*  
*num. 6.* Perdet etiam talis cognomen ac dignitatem mariti  
 prioris, æquè ac vidua ad iterata vota transiens, *Nov. 22.*  
*c. 36.* ne major favor tribuatur meretricium & illicitum, quàm  
 castum & licitum amorem eligenti. vid. ex Decian. Brunnem:  
*ad l. fin. C. de Incol. & si per matrimonium cum viro ignobili*  
*contractum, mulier nobilitatem amittit, Tiraquell. de Nobil.*  
*c. 18. n. 16. Ant. Faber. Cod. l. 9. tit. 29. def. 17. & 20. Chassan. ad*  
*Consuet. Burgund. rubr. 9. §. 7. n. 4. Myler. Gamolog. Person.*  
*Imper. Illustr. cap. 9. n. 9. p. 274. & seq.* quantò magis per stu-  
 prum, maximè quod à viro ignobili passa: cum & per scelus  
 vitæque turpitudinem, hincque natam infamiam nobilitas,  
 seu dignitas amittatur. *l. 1. C. ubi Senator. vel Clariss. l. 47. de*

Enumera-  
 ta pœnæ  
 magis obti-  
 nent si stu-  
 prum in-  
 tra annū  
 luctûs  
 passa.



*Ritu Nupt.* Tiraquell. *de Nob. c. 24. n. 1. & seq.* Nold. *de Statu Nob. c. 17. §. 3. n. 176.* quod & statuere Carpzov. videtur, dum Jure Sax. contrarium obtinere statuit *Decis. 181.* imò clariùs Gail. *2. Obs. 98. n. 15. & seq.* ubi viduam impudicam ait, desinere esse de domicilio viri, & perdere omnia privilegia viduitatis.

Q. An & dotem perdat?

Neg.

An verò dotem quoque perdat, quæritur? varias opiniones exhibet Carpzov. *Pr. Crim. qu. 65. n. 37. & seqq.* partim affirmantium, partim negantium, partim distinguuntium: utrum intra, an post annum luctus stuprum passa fuerit; ut illo casu dotem perdat: hoc, secus. vid. Idem *d. Decis. 181. item Ar. Pinel. ad l. ult. de bon. mat. n. 9. & seqq. p. 555. Mev. d. l. num. 422.* Veriorem autem illorum putamus opinionem, qui neutro casu viduam dotem amittere statuunt, quæ probatur ex *auth. Eisdem C. de Sec. nupt. & Nov. 39. cap. ult.* ubi vidua ob stuprum intra annum punitur tantum amissione lucri quod habitura erat ex bonis viri; ergo non amittet bona propria, inter quæ maximè dos computanda *l. 75. de Jure dot. l. 3. §. 5. de Minor. l. 26. de Relig. & sumt. fun. l. 7. §. 12. Sol. Matr. l. 4. de Collat. l. 15. §. 3. qui Satisd. cog. l. 30. C. de Jure dot. Cujac. 10. Obs. 32. B. D. Strauch. Diss. 6. th. 9. Dn. Præses in dissert. de lacer. dot. ant. consum. matrim. th. 23. cum autem nostrum non fit, legales pœnas extendere. Tiraqu. *in l. si unquam 8. de Rev. donat. ad verb. revertatur n. 249. Menoch. A. F. Q. cent. 3. ass. 276. num. 1.* intra septa & hîc nos continemus; maximè cum allegg. textus amissione dotis mulierem haud puniant; & licet non rectè faciat, dum & maritum prædefunctum dehonestat, & liberos si qui exstant, mirabili injuriâ afficiat, ut loquitur Justin. *in Nov. 39. c. fin. pœna tamen hæc in eam statuta non est, ut in simili loquitur Jctus Ulp. in l. 14. §. 14. ff. de Relig. & sumt. fun. v. Pinel. d. l. Boër. Decis. 338. Chassan. ad Consu. Burg. rubr. 4 §. 6. ad verba: & sera tenue. num. 24. v. Annæ. Robert. Rer. Judic. Cur. Paris. l. 1. c. 13. p. 242. & seqq. Peregrin. de Jure Fisci l. 2. tit. 9. n. 13. & seq. p. 177. & hæc opinio in foro Saxon. probatur: clarè enim Landrecht *l. 1. art. 5. in med.* dicit, ibi: *Ein Weib (sc. ein lediges / unbemannetes / uti gloss. Germ. explicat)***



pliat) mag mit Unkeuschheit ihre Weibliche Ehre fräncken /  
 ihr Recht verleurt sie aber damit nicht / noch ihr Erbe. vid.  
 Carpz. Pr. Crim. qu. 65. n. 44. & seqq. ibiq<sup>3</sup> allegg. Beust. tract.  
 Connub. P. 3. c. 6. ibi: hic obiter. p. 276. olim hoc jure Sax. con-  
 trarium forsan obtinuit ceu ex Thoming. Decis. 28. n. 2. patet.  
 Imò Jure Sax. ut dotem, sic nec ullum aliud lucrum, quod  
 à marito defuncto habet vel expectat, etiamsi stuprum ante  
 lapsum anni luctûs patiat, amittit, aut pœnam l. 1. & seq. c. de  
 S. N. incurrit, ita ut dispositio Jur. Civ. in foro Saxon. ab-  
 rogata censeatur, teste Carpzov. d. l. Coler. P. 1. Decis. 64.  
 Schneidew. ad Inst. de Nupt. rubr. de divort. num. 33. unde  
 Carpz. d. l. n. 78. Jus Saxonicum cum Jure Canon. in C. penult. &  
 ult. X. de Sec. nupt. consentire dicit.

## Th. VI.

Jus equidem Canonicum in d. cap. pen. & ult. indistinctè  
 five post, five intra annum luctûs secundò nubat, infamiae  
 pœnam jure Civ. viduae irrogandam remittit: ratio hæc ad-  
 cc. redditur: quod per mortem conjux soluta legibus prioris ma-  
 trimonii potestatem habeat nubendi, cui velit. Sic abutuntur  
 dicto Apost. Pauli ad Rom. 7. v. 2. 1. ad Cor. 7. v. 39. nec cæcu-  
 tientes animadvertunt verba postrema: tantum in domino;  
 effrenem talem viduarum libidinofarum licentiam coërceri;  
 nec unquam in mentem venisse Apostolo, ut quadrata rotun-  
 dis misceret, aut suâ concessione legem, in ipso rectæ ratio-  
 nis & honestatis dictamine fundatam, à Legislatoribus Roma-  
 nis sancitam everteret, cum alibi ad Rom. 13. v. 1. & seq. seriò  
 obedientiam superiori præstandam inculcet; cui ex eòdem  
 spiritu loquens Petr. Epist. 1. c. 2. v. 13. & seqq. consentit. quomodo  
 ergò per concessam hanc libertatè, quam fingunt Pontificii, obli-  
 gationi legis civilis Rom. quid detractū ire potuit? latè hinc in-  
 eptias Pontificum & Pontificiorum perstringit Rittersh. de Diff.  
 Jur. Civ. & Can. l. 2. c. 4. p. 49. & seqq. jung. Gœhaul. part. 2.  
 peric. 2. qu. 12. p. 257. & seqq. Sichard. ad rubr. C. de Sec. nupt. n.  
 14. Hillig. D. E. lib. 13. c. 19. lit. Z. Magis adhuc suam produnt  
 cæcitatem, dum mulieri uterum adhuc gerenti, quæ nec dum  
 partum

L 3

Jure Sax.  
 nullum lu-  
 crum quod  
 habet à  
 marito pri-  
 ori amittit

Jure Can.  
 infamia  
 viduae in-  
 tra annū  
 luctûs nu-  
 benti, re-  
 missa.



partum enixa est, secundas nuptias concedunt, v. Zoef. ad tit. X. de Sec. nupt. num. 1. Quid hinc sperandum, nisi turbatio familiarum, & boni ordinis proculcatio? vid. sup. c. 5. th. 7. in fin. Sed nonne sacramentum matrimonii, quod Pontificii somniant, ceu rectè taxat Beza de Divort. p. 158. ob quod durans negant benedictionem secundis nuptiis, & hinc maturacionem secundarum nuptiarum impedire potuit? quid hoc aliud, quam culices colare, & camelos deglutire? obtinuit tamen correctio hæc Juris Canonici, & leges seculares, sacros canones hinc sequi non dedignari dicuntur, ut loquitur Innocent. III. in c. ult. de Sec. nupt. (de cujus dicti, quod itidem habetur in c. 8. X. de Judic. & in c. 2. X. de Juram. calumn. ex Nov. 83. desumpti, abusu v. Rittersh. d. tr. proœm. p. 3. & l. 1. c. 4. p. 50.) ut ita pœna hæc secundarum nuptiarum immaturarum per Jus Canon. sublata reputetur Gail. 2. Obs. 98. n. 8. Mey. ad J. L. l. 2. tit. 2. art. 12. n. 426.

## Th. VII.

Q. an &  
alia jure  
Civ. statu-  
te pœne  
per jus Can  
sublata?

Cum autem præter hanc infamiae pœnam & alia Jure Civ. his acerbis nuptiis, multò magis stuprationi impositæ, an & hæc per Jus Can. sublata sint, quæritur? Ratio generalis subjecta c. fin. X. de Sec. Nupt. id suadet, lege enim permittente mulier, à priori marito soluta, agere videtur, unde pœnâ haud meretur, quæ extra culpam concessâ sibi utitur potestate. Sic statuit Zoef. d. l. n. 2. Gudelin. de Jure Noviss. l. 1. c. 12. & quamvis hic d. l. p. m. 33. ex stupro parientem infamem jure Can. putet, quâ tamen fronte hoc contra libertatem ab Apostolo juxta mentem Canonistarum admittat, suo defendat periculo, nisi dicas, infamiam hanc ex alio capite impudicitiae scil. adhuc salvam manere luxuriosæ. Ante Zoesium & alii hanc foverunt opinionem, ceu videre est apud Rittersh. d. tr. l. 1. c. 6. p. 53. qui in genere pœnas Jure Civ. immaturis hisce nuptiis determinatas, Jure Can. abolitas volunt. Dicimus pœnas: nam distinguunt à pœnis illas dispositiones, quæ potiùs concernunt provisionem & commodum liberorum prioris matrimonii, quas minimè abolitas dicunt, ceu apud



apud Zoef. & Gudel. *dd. ll.* videre est, jung. Gail. 2. *Obs.* 89. n. 8. Sichard. *ad rubr. C. de Sec. nupt. num.* 16. Hanc autem reddunt rationem, quod licet *dd. cc. pen. & ult.* mentionem tantum faciant infamiae legalis sublatae, ratio tamen in libertate Apostolicâ fundata locum etiam in aliis pœnis inveniat: ut in iis, ex ratione, ceu animâ legis, quæ in similibus identitatem induit, sit concludendum Zoef. *d. l. n. 2.* Mev. *ad J. L. l. 2. tit. 2. art. 12. n. 426.* *ibiq<sup>3</sup> alleg.* Carpz. *d. l. Coraf. Miscell. Jur. Civ. l. 3. c. 1. num. 6.* Ast an in iuribus correctoriis ex identitate rationis ad similia progredi liceat, est de quo meritò dubites, cum jura correctoria & nova strictè in terminis suis, de quibus loqvuntur, contineri, nec ad alia produci debeant. Magnif. D. Struv. *S. J. C. Ex. 2. th. 50.* & quæ non expressè corriguntur, quare stare prohibentur? *l. 27. C. de Test. l. 32. J. fin. C. de Apell. v. Rittershus. d. tr. l. 1. c. 6. p. 54.* Pœnas autem hasce Jure Civ. impositas quibus modis evitet mulier ad secunda vota properans, v. apud Rittersh. *d. l. p. 54. & seq.* Boër. *Decis.* 185. Coraf. *d. l. n. 11.* Mynf. *5. Obs. 54. n. 6. & seqq.* Gail. *d. l. Gregor. Tholos. Synt. Jur. Univ. l. 9. c. 26. n. 53. & seqq.*

## Th. VIII.

Illud quæritur, an maritus illas, in testamento remittere queat? sic equidem videtur. cum enim pœnæ hæ respiciant injuriam marito prædefuncto illatam *Nov. 39. c. fin.* volenti & consentienti ex communi juris regulâ, nulla infertur injuria, *l. 1. J. 5. ff. de injur. l. 34. C. de Transact.* hanc opinionem fovet Bald. *in l. fœmina C. de Sec. nupt. & in l. filium quem C. de fam. hercisc.* seqvuntur & alii. Alii autem hoc restringunt ad concessionem nubendi post annum lucûs factam, Jason. *in d. l. filium cot. 9. C. Fam. hercisc.* & si liberi non existent ex priori matrimonio; aut si existent, consentiant; cum iis non minus per lasciviam mulieris injuria inferri videatur, *d. Nov. 39. v. Coraf. d. l. n. 12. & seqq.* secus verò si permiserit maritus, ut intra annum lucûs mulier nubat, cum hoc sit contra bonos mores *l. 1. C. de Sec. Nupt.* & publico familiarum splendori officiat, quo casu frustranea testatoris dispositio *l. 112. J. fin.*

*An maritus pœnas legales in testamento remittere queat, quæritur?*



*fin. de legat. 1. nec efficere potest, ne leges in testamento suo locum habeant, l. 55. eod. Sichard. ad l. 1. §. 2. C. de Sec. nupt. n. 31. Freher. de infam. l. 3. c. 17. num. 17. Cum autem sæpius dictum fuerit de anno lugubri à muliere observando, notandum est, hunc esse continuum, & à momento mortis de quo sup. c. 5. th. 2. ad momentum vertentis anni currere. l. 8. de his qui not. Rationem quare tam strictè hic continuus annus computetur, aliis rejectis, hanc reddit Freher. d. l. n. 8. ut magis consulatur imbecillitati muliebri, ne nimis diu differatur, dum forte mulier ad secunda vota properat. Jungi forsan & alia potest quod tempus pariendi sit continuum, super quo cum potissimum fundetur duratio luctus muliebris eo continuo labente, continuo quoque luctus exspirabit.*

## Th. IX.

*Pœna ante  
enumerata  
ta hodiernâ  
obtinent  
ubi ea non  
abrogata.*

Supra dictas pœnas ubi illæ receptæ, meritò sustinent viduæ lascivæ. si non omnes, tamen illas, quæ retentæ. Sic non attentâ Sanctione Pontificum Jure Norimberg. si intra spatium hoc jure determinatum mulier ad immaturas nuptias convolaverit, alias pœnas, scil. lucri statutarii, & in genere omnium, quæ ex bonis mariti petere poterat, privationem, & insuper arbitrariam poenam pro ratione circumstantiarum mox exasperandam, mox mitigandam pro arbitrio Magistratus sustinent. v. Rittershus. de Diff. J. C. & C. l. 1. c. 5. pag. 51. Wurtbain. de Diff. Jur. Civ. & Reform. Noric. Class. 1. membr. 1. th. 24 p. 31. Quamvis etiam Jur. Saxon. de quo supra th. 5. pœnæ legales cessent, non tamen impunem vult levitatem, quam eximiam monstrat vidua in acceleratis his acerbis nuptiis, sed poenam arbitrariam lasciviæ imponit, ceu testatur Carpzov. Pr. Cr. quest. 65. n. fin. & Jprud. Conf. l. 2. def. 157. Ita quoque in der Anno 1656. publicirten Hessischen Kirchen und Reformation-Ordnung cap. 10. viduæ ante tempus definitum ad secunda vota transeunti poena pecuniaria imponitur, nec ad consummationem nuptiarum ante temporis lapsum admittitur v. Naurath. de Vitâ & Morte hom. theor. 85. p. 187.

Th. X. Ma-



## Th. X.

Maritis quidem elugendi tempus ut Jure Civ. Rom. nullum determinatum: sic & pœna nulla decreta invenitur. Levitatis tamen notam tales ἀπαθείες & saxcos, iisdem oculis funus, quibus conjugem ipsam aspicientes, & eodem animo præsentiam viventis, & memoriam amissæ ferentes incurrisse, improbable haud videtur. In aliis benè ordinatis Rebus publ. ubi elugendo tempus etiam maritis præfinitum, ceu supra dictum, utut pœna præter eas, quæ secundis nuptiis ex Jure Civ. determinatæ & receptæ, nulla adjecta, connivendum tamen ad hanc levitatem negat Henning. Arnif. *de Jure Connub. c. 5. sect. 4. n. fin.* Carpzov. *d. l.* & cum in Ordin. Prov. Saxo-Gothanâ *P. 1. c. 8. t. 4.* signatè dicatur: Daß solches eine Anzeigung sey eines sonderbahren liederlichen Gemüthes / und daß man des ersten verstorbenen Ehegatten wenig geachtet / auch mehr auf fleischliche Lust / als Zucht in der Ehe sehe: quis quæso in Illustrissimâ hâc domo, ubi pietati & honestati suum nunquam defuit præmium, levitati & impudicæ libidini nullam exstare pœnam autumabit? Sic in Ordin. Eccles. Hassiacâ supra *d. l.* arbitraria pœna pecuniaria, maritis hisce viduis ad præpropera vota migrantibus, imponenda sancitur, ibi: Soll derselbe mit unnachlässiger Geld- Straffe belegt werden / &c. vid. Naurath. *d. l.* Alibi, ubi lege terminus elugendi maritis præfinitus, sine tamen speciali pœnæ determinatione, indubitatò pœnam arbitrariam LLatorem sibi reservasse statuimus, *vid. sup. th. 2.* imò ut coërceatur levitas nonnullorum, vix semestri spatio defunctos maritos uxoresque lugentium, & ad continendam incontinentiam salacium conjugum, demenda lucra prioris matrimonii, & portionem statutariam, honestatem exigere statuit Mev. *ad J. L. l. 2. t. 2. art. 12. n. 427. & seq.*

*Maritis  
nullū tem-  
pus elugen-  
di ap. Romæ  
nec pœna  
determi-  
nata.*

## Th. XI.

Parentes, liberos, cognatos, aliàs lugeri & elugeri voluit Jus Civ. Rom. ut supra demonstratum, idque sub pœnâ infamiæ: Ast ut antevertimus dicere, Tribonianus, cujus

*Parentes,  
liberi, co-  
gnati quo-  
modo elu-  
gendi.*

M

vel



*l. 23. ff. de  
his qui not.  
inf. inter-  
pelata.*

vel tempori, vel lenitati hæc non conveniebat pœna, juxta animi patientiam & pietatem, (i. e. ceu explicat Cujac. *l. 2. Qq. Pap. ad l. ult. de his qui not. infam. p. 30. prout quisque hunc dolorem ferre poterit, pro captu & voluntate cujusq;*, ita tamen, ut lugeat aliquo modo; ) illos lugeri voluit, *l. 23. d. t.* Interpolatam autem hanc legem supra *c. 3. th. 4.* ex Guth. asseruimus, quod exinde clarius probatur, quod tempore Pauli Jcti *lib. 1. sent. tit. ult.* ex restitutione Cujac. *l. 21. Obs. 12.* adhuc dum ea obtinuerit; lex autem *23. d. t.* fit Ulpiani, Paulo coævi, qui unâ à consiliis Alexandri Severi fuit, teste Ælio Lamprid. *in hujus vitâ circa fin.* ut probabile non sit Paulum & Ulpianum sic graviter inter se dissensisse. Quicquid autem sit, licet pœna determinata hodiè ex Jur. Civ. (utrum autem hæc ævo Tribon. manserit, & demta saltem non elugentibus fuerit pœna? vid. Cujac. *d. l.* qui affirmativam tenet) cesset, dubitandum tamen non est, cum lugendas esse antedictas personas Jus Civ. sanciat, quin & parendi necessitatem injungat, *arg. l. 4. ff. de LL.* Cujac. *d. l.* & præter levitatis notam quæ ferreum talem exspectat, pœna arbitraria juxta supra dicta, infligi queat. Quod & Juri & praxi hodiernæ consentaneum censendum, ubi statuta particularia silent. Non immeritò quoque tales, privilegiis aliàs lugentibus concessis, de quibus mox, carebunt.

## Th. XII.

*Item quo-  
modo ami-  
ci & cala-  
mitas pri-  
vata.*

Ob amicos amissos, item ob calamitatem privatam ut ut moerore animus angi soleat, ob illos quidem extrinsecè illum testari, ob hæc non item; sed internum moerorem seu dolorem sub pectore moesto vel premere, vel signis quidem dolentium, non tamen habitu ostendere solemus. Utrumque tamen effectu non carere suo putamus. Et quantum ob amicos amissos, cum ad luctum per funeris prosecutionem amici per legatum quasi invitari solebant, *l. 91. ff. de C. & D. Ulp. in fragm. t. 24. §. incerte 17.* legatum tale evanescere non impletâ conditione clarum videtur. cum à conditionis possibilis impletione debito modo & tempore factâ præsta-



præstatio quoque legati pendeat, l. 27. l. 40. de C. & D. quod si autem non sub conditione hac lugendi, sed absolutè quid legatum fuerit, legatarium se illo indignū reddere non lugendo, non putamus; ad privationem enim sine lege non deveniendum arg. Nov. 15. c. 3. Jason. in l. neq; pactio 12. C. de Transact. Menoch. A. J. Q. cas. 276. num. 9. An autem heres extraneus institutus non lugens defunctum testatorem hereditate se indignum reddat, quæritur? Ingratitudinem, quidem insignem talem committere nemo dubitabit: cum tamen leges nullibi illum indignum hereditate relicta declarent, ob id quod injustis defuncto persolvendis negligens fuerit, lege tacente hereditatem ipsi abjudicare non licebit. Eleganter huc facit sanctio Alexandri Imp. in l. 5. C. de his quib. ut indign. v. Auctor. ante all. jung. Carpz. Decis. 162.

Qu.

## CAPUT SEPTIMUM.

Privilegia nonnulla lugentium. quæ dispescuntur in communia & propria seu specialia.

### THESIS I.

QVamvis virtus sibi met ipsi sufficiens præmium, circa illam tamen excitandam, & sæpius tepentem inflammandam causa LLatorum prudentia occupata est, ut pœnas & præmia, quæ fulcra Reip. firmissima, rectè irrogare & distribuere queat. Sic cum decorum, honestum & pium semper habitum fuerit non planè inflexibilem, saxeam aut corneam esse; nec leges συμπαθῆσαι & mœrorem ex morte vel calamitate conceptum sine præmio esse voluerunt, dum specialia privilegia lugentibus concesserunt, quorum aliqua in jure passim inventa delibabimus. Sunt autem ea vel communia, utrique sexui ex æquo competentia: vel specialia seu alterutri propria. Ad communia referimus Primò: lugentium Præcedentiã, Proœdriam, seu

*Virtus licet sibi ipsi præmium: Præmiis tamen & pœnis excitatur. Privilegia lugentium communia quo I. Præcedentiã.*





de quâ  
questio  
vana.

ex obser-  
vantia ma-  
gnam par-  
te pendet.

in stando, sedendo, eundo potiolem locum. Vana quidem est quaestio praecedentiae, sterilis & inanis, teste Magnif. D. Lyncker. *de Gravam. extrajud. c. 6. §. 4. p. 490. & seqq.* Nevizan. *Sylv. Nupt. l. 5. n. 87. p. 530.* apud eos maximè agitari solita, qui superciliosi alienae vitae censores, suae hostes, omnium volunt esse primi, apud quos major solet esse famae sitis, quam virtutis, vid. Lanf. *de Acad. p. m. 25.* Cum tamen praecedentia & hic observetur, illa autem ex more recepto & inveterato, ac observantia magnam partem dirimenda veniat, Gastel. *de Statu publ. Europae c. 2. n. 12. p. m. 38.* nihil verò asserendum quod vel legem vel consuetudinem non habeat pro fundamento, *Nov. 18. c. 5.* ecce, ex more inveterato lugentibus praecedentia concedi solet. Ratio forsan ulterior peti potest ex misericordia, quam inter causas praecedentiae recenset. Joh. Freinshem. *de S. R. §. Elector. & S. R. Ecclesiae Cardinalium praeced. diatrib. 2. n. 1. p. 24.* Ne tamen putes, nos indistinctè lugentibus hanc praediam concedere, intelligi haec debet de luctu ob funus, & tempore eo praecipuè quo id ducitur. hic enim observantia quotidiana docet, etiam infimae sortis lugentem alii, licet ratione dignitatis ac conditionis digniori ac majori, praeferrì. Inter ipsos etiam lugentes, non attentà praecedentià, quam ratione *ἀξίας* hic vel ille habet, ordo ita observari solet, ut quo propius quis defuncto sanguine junctus, eo potiolem in stando, sedendo, eundo, dum sc. defuncto justa fiunt, locum occupet. Imò eò usque hoc invaluit, ut vestitui lugubri & pallio ad talos deciduo hic quicquam tribuatur honoris, ceu itidem testis est quotidiana observantia.

Th. II.

II. Exem-  
ptio à com-  
parendi in  
judicio ne-  
cessitate.

Deinde inter lugentium privilegia numeramus Exemptionem à comparendo in jus vocati. hoc exprimit Jctus Ulp. *in l. 2. ff. de in Jus voc.* ubi inter personas, quas in jus vocare non licet, in fine addit: *neq; funus ducentem familiare, justave mortuo facientem.* Huc etiam respicit Jctus Callistratus *in l. 17. ff. de Judic.* Quantum autem tempus huic exemptioni concessum, ex more Rom. petendum videtur: dicit enim



enim Jētus in d. l. 2. *funus familiare ducentem, & iusta mortuo* *Funus du-*  
*facientem non vocandum*; quorum illud strictius, hoc latius *cere, & ju-*  
quiddam denotat. Ipsa namque ductio funeris nil præter *sta facere*  
elationem indigitat, v. Kirchman, *de F. R. l. 2. c. 1. p. 77.* adeo- *differunt.*  
que tractum temporis tantum non habebat, ac dum iusta (i.e.  
suprema officia, quod justè fiant mortuis qui de nobis benè  
merentes aut nobis amici fuerant. v. Quenst. *de S. V. c. 13. p. 284.*)  
fiunt mortuo. horum enim partem constituabat ipsa ductio.  
Iusta verò præcipuè in exequiarum pompâ à propinquis ad-  
ornandâ, dum domi cadaver asservabatur, & curabatur con-  
sistebant. v. Guth. *de J. M. l. 1. c. 16. p. 94.* Coras. 1. *Miscell. 12.*  
Tempus autem intra quod hæc absolvebantur, erat novem *Iustorum*  
dierum. tot enim dies constabant iusta mortuorum, quæ di- *tempus,*  
cebantur *μνημοίαι*, i. e. feriæ aut memoriæ mortuorum, vid.  
Cujac. *de divers. temp. præscr. c. 6.* Idem l. 2. *Qu. Pap. ad l. ult.*  
*de his qui not. inf. p. 30.* Quenst. *d. l. Rittershus. Expos. Nov.*  
*P. 13. c. 6. p. 707.* Dicitæ Novendiales, item sacra, sc. familiæ,  
quibus defunctis solebant parentare, de quibus Kirchman.  
*d. tr. l. 4. c. 1. p. 363. & seq.* item Guth. *d. l.* Has ferias Noven- *à compa-*  
diales creditori seu acturo violare fas non fuit, nec funestam *rendo ex-*  
familiam per in jus vocationem inquietare concessum. Dicimus: *emptum.*  
*familiam*; cum & l. 2. d. t. *de in jus voc.* funeris familiaris men-  
tionem faciat; ita ut per familiam intelligantur omnes, qui  
sub unius potestate ex eâdem gente & domo prodierunt l.  
195. §. 2. ff. *de V. S.* Guth. *d. tr. l. 3. c. 9. p. 465.* Militibus etiam  
juramento, quo die adessent, adstrictis, hæc exceptio legitur  
tributa apud Agell. *N. A. l. 16. c. 4. ni funus familiare ducat.*  
Imò excusabatur non tantum noviter vocatus, sed & qui ob  
iusta solvenda vadimonium deseruit. Coras. *d. l.* Justinianus  
Imp. Jus illud vetus non tantum inculcavit denuò, in *Nov.*  
145. c. 5. sed & auxit. Heres enim fictione juris eandem cum  
defuncto personam sustinens, ubi qualitas obligationis non  
repugnat, l. ult. in fin. *C. de impub. & al. subst. l. 22. §. 1. de A-*  
*gric. & cens. l. 11. de div. temp. præscr. Nov. 48. pr. in f.* ob æs alie-  
num, quo defunctus suis creditoribus obstrictus erat, eâdem





Et ab omni  
inquietatione.

Funus prosequentes quoque vocari nequeunt.  
Jure Sax. laxius adhuc privilegium.

actione quâ defunctus conveniri potuisset, pulsari potest Bachov. ad §. 5. §. de Oblig. qua quasi ex contr. Vinn. *ibid.* unde si pura fuit obligatio defuncti, cujus dies & cessit, & venit l. 213. de V. S. sicut contra defunctum statim agi potuisset: ita & contra heredem illicò agi posse videbatur: ast aliter placuit Imperatori, d. l. 2. saltem de in Jus vocando loquentem, ad omnem inquietationem extendenti. causam & personas, ob quam, & quibus hoc beneficium competat, clariùs d. l. exprimit. ibi: *sancimus.* In his novem diebus ab omni inquietatione vacuis, heredes ut loquitur Imp. d. l. lugere videntur; quem morem ab Ethnicis derivatum Christianos servare tradit Rittershus. d. l. Tempore novenæ dictæ, quæ à creditoribus facta, nulla dicuntur, ut nec interpellatione debitorum heredes in morâ poni possint, Ripa de Peste c. 4. n. 105. p. 139. Funus quoque prosequentes & h. m. luctum testantes, in jus eo tempore vocari nequeunt. l. 3. de in Jus voc. commiseratio enim excusationem meretur. Umm. in Process. disp. 5. n. 30. §. 32. p. 191. & causa funeris publica est. Cujac. ad Nov. 60. Jure Sax. heredes pinguiori gaudent beneficio, ita ut ante trigesimum à morte defuncti diem, utilem scil., conveniri nequeant. Landrecht l. 3. art. 15. §. gloss. Weichbild. art. 23. col. 4. vor dem dreysigsten Tag ist der Erbe niemand zu antworten/ noch zu geben schuldig. v. Magnif. D. Struv. S. J. C. Ex. 43. th. 29. Carpz. P. 3. C. 14. d. 14. §. seq. Schneid. ad §. fureat. 29. §. de Act. n. 102. Heig. P. 1. qu. 8. n. 72. Coler. P. 1. Dec. 70. & interim hereditas quasi jacens dicitur. Coler. Process. Exsec. P. 2. c. 3. n. 387. seqq. Idem Decis. 202. imò Brunnem. ad Aub. sed neq. C. de sepulchr. viol. Consuetudine passim receptâ, heredem intra 30. diem molestiâ affici non debere; affirmat.

### Th. III.

III. Pœnæ mitigatio.

In pœnarum mitigatione lugentium quoque privilegium agnoscimus. Luctum enim supra dolorem seu ægritudinem ex Cic. & aliis asseruimus. hunc autem affectum, qui tamen suos admittit gradus, maximè si recens fuerit, impotentiam animi ostendere, eccuî ignotum? quemadmodum  
autem



autem furor & melancholia. Menoch. *de Pres.* l. 6. *Pres.* 45. n. 1  
 & *seq.* & *Consil.* 82. vol. 1. Tiraqu. *de pœnis leg. temper. caus.* 3.  
 n. 1. Carpz. *Pr. Crim.* qu. 145. Heig. *P.* 2. qu. 38. item amor ve-  
 hemens, Tiraqu. *d. tr. caus.* 4. n. 1. Menoch. *A. J. Q. cas.* 328. n. 1.  
 & *seqq.* Heig. *d. l. n. 65.* quod ejus vis mentem non tantum tur-  
 bare & oppugnare, sed et evertere & expugnare quandoque  
 deprehendatur. v. Cœl. Rhodig. *Lect. Antiqu.* l. 23. c. 2. & *seq.*  
 & alia animi impotentia Finckelth. *Obs.* 43. n. 16. mitigationi  
 pœnæ locum facit: ita etiam luctus, dolor & tristitia. ma-  
 ximè cum illorum affectuum delicta minùs odiosa sint, quàm  
 quæ ex voluptatis nascuntur desiderio. Grot. *de J. B. & P. l. 2.*  
 c. 20. §. 31. Unde si non à culpâ omni, à dolo tamen luctus ex-  
 cusabit delinquentem. & cum in delictis omnibus diligentis-  
 simè advertendum sit, an ex proposito, dolo malo, & animo  
 nocendi; an impetu, casu, ignorantia quid commissum sit, ad-  
 eò, ut nisi animus deliberatus & propositum, quod maleficia  
 distingnit l. 39. l. 73. *de furt.* intervenerit, pœna lege determina-  
 ta locum non habeat, c. 1. *in pr. & J. cui sententia, item c. ult. XV. 1.*  
 Vaud. *quest.* l. 1. c. 46. ita & hîc, ubi nimio dolore implica-  
 tus intellectus, & detenta voluntas rationem vix audiunt, sol-  
 licitus erit judex, ne gravius quid, quam causa deposcit, decer-  
 nat, l. 11. *de pœn.* Optimè huc facit l. 38. *J. fin. d. t.* ubi mitior di-  
 statur pœna militi ex luctu manus sibi inferre volenti.

Th. IV.

*Specialia*  
*lugentium*  
*privilegia*  
 I. huc per-  
 tinet reten-  
 tio cogno-  
 minis &  
 dignitatis  
 mariti:  
 quam sec.  
 nuptiis  
 amittit  
 licet vidua.

Ad propria seu specialia lugentium, præter ea, quæ supra mu-  
 lieri assera, referimus, quod vidua in viduitate, (quæ luctus  
 quodammodo continuus) post mortem mariti permanens, l. *fin. C.*  
 ejus retineat cognomen, dignitatem, & conditionem l. *fin. C.*  
*de Incol.* quâ dignitate, ad secunda vota transiens & reverenti-  
 am priori debitam cum luctu quasi exuens, privatur, d. l. Carpz.  
 2. *Resp.* 24. n. 17. Besold. *P. 2. Conf.* 88. n. 5. & *seqq.* & cum secundo  
 marito hujus quoque dignitate fruatur. hinc si Senatoriæ digni-  
 tatis fœmina nupserit plebejo, clarissimarum fœminarum no-  
 mine amplius non habetur. l. 8. *ff. de Senat.* nec mariti prioris  
 nobilis, nec parentum nobilium dignitatem ac statum, mortuo





*ap. Saxon.* licet secundo marito plebejo, recuperat. *d. l. 8.* Humaniores  
*olim secus.* olim Saxones fuerunt, quorum jure, etsi uxor clarissima in po-  
 testatem ac tutelam viri plebeji transit, nihilominus morte viri,  
*item Ale* primum nobilitatis statum, quem habuit ante connubium, re-  
*mannos.* cuperat. *Sandrecht l. 1. art. 45.* Et Alemannorum legibus fœ-  
 mina nobilis & ingenua, fiscalino homini nupta, & statum &  
 dignitatem retinuit, *Lehm. Chron. Spir. l. 2. c. 19. p. 95.* Magnif.  
*& Anglos.* D. Schilter *Ex. ad ff. 5. th. 3.* Apud Anglicanos speciale quid  
 reperitur, ubi fœmina nubens Baroni aut Equiti, titulum Do-  
 minæ adsumit, & licet ad secundas nuptias viri ignobilis de-  
 scenderit, (*vide, inquit Thomas Schmith descr. Angl. l. 3. c. 8.*  
*p. m. 271. quantum fœminis concedamus*) Dominæ appellationem  
 semper retinebit. Quod ceu jure communi Anglicano rece-  
 ptum, ex privilegio apud Roman. concedebatur. *Andr. Domi-*  
*nic. Flocc. de Potestat. Rom. l. 2. c. 1. p. m. 60. jung. l. fin. ff. de Sen-*  
*Th. V.*

*II. fori* Deinde durans in viduitate & luctu forum prioris mariti  
*mariti pri* sortiebatur *l. fin. C. de Incol.* quod si in pluribus conveniri po-  
*mi sortitio* tuit maritus (sic enim Jure Rom. domicilium cū dignitate in ur-  
 be quis consequebatur, *l. 8. C. de Incol. l. 2. C. ubi Senator. vel Clar.*  
*sive unum* domicilium tamen unde oriundus erat, ubi larem fovebat,  
*sive plura* & majorem partem bonorum possidebat, non amittebat,  
*habuerit* sed dignitas domicilii potiùs adjectionem dedisse, quam per-  
*maritus.* mutâsse censebatur *l. penult. ff. de Senat. l. 23. ff. ad Municip.*  
 quod ad Consiliarios & Officiales Principum hodiernos elegan-  
 ter pro more applicat Magnif. D. Schilt. *d. l. th. 4.*) in illis  
 suum quoque sortietur forum; nisi fortè ex pluribus unum in  
 certo eligat loco, & ibidem cum familiâ habitet, tenendo fo-  
 cum & ignem, jure forsan dotalitii, certo in loco aut prædio  
 constituti. *Carpz. 2. Resp. 24. n. 18. Zang. de Except. P. 2. c. 1. n.*  
*99.* Hoc autem forum, luctu cum viduitate exuto, amittebat,  
 nî speciali privilegio illud reservatum.

*III. Tutela*  
*liberorum*  
*& nepotū*  
*muliebris.*

Th. VI.

Porrò in luctu & viduitate permanens, liberorum vel ne-  
 potum suorum tutelam suscipere volens potest mater vel avia  
 Auth.



Auth. *matri* & l. 1. & seq. C. *quando mulier off. tut.* est enim hæc tutela magis permissiva, quam iussiva & imperativa, ut in vitæ onus tutelæ subire non teneantur *dd. ll.* quod & observat Additionator *gloss. lib. 1. art. 11.* Landrecht n. 4. man mag aber doch kein Weib zur Vormundschaft nicht zwingen/ Carpz. *de Jure Fœm. decad. 2. posit. 1. n. 23. & 24.* Idem P. 2. C. 11. d. 11. n. 13. Brunn. *ad d. auth. C.* unde se excusare possunt, licet in testamento tutrices sint nominatæ, Eckolt. *ad ff. tit. de leg. tut. th. ult.* Quibus autem præferantur, an indistinctè omnibus aliis legitimis collateralibus (nam testamentariis quò minùs præferantur, facit voluntas Patris & optimum, quod pro liberis cœpisse creditur consilium, l. 7. C. *de Curat. fur. l. 8. §. 3. quod met. caus. l. 25. C. de inoff. test.* Tiraqu. *ad l. 8. C. de Revoc. donat. in præf. n. 25. p. 13.* Pensold. *ad Coler. Decis. 222. n. 16.* Pinel. *ad l. 1. C. de bon. mat. P. 2. n. 20.*) an & adscendentibus? vide-  
 sis apud Auctor. jam alleg. cui jung. Magnif. D. Struv. S. J. C. Ex. 31. th. 26. Carpz. 5. Resp. 80. An autem contra avum paternum & maternum, ut & his præferantur privilegium suum extendere queant? Affirmandum putamus. Fab. *Error. Pragm. Dec. 6. Err. 7.* Brunn. *ad d. auth.* Dissentit Carpz. P. 2. C. 11. D. 13. & *de Jure Fœm. d. l.* Eckolt. d. l. An ipso jure matri & aviæ tutela competat, an confirmatione magistratûs opus sit. v. Carpzov. *d. pos. 1. n. 14.* Hodie hæc quæstio tantam haud habet dubitationem, cum indistinctè tutores confirmatione indigeant, *Reform. Polit. de An. 1548. & 1577. tit. von der Pupillen und minderjâhrigen Kinder Tutorn und Vormûndern.* Quod etiam statutum reperitur Jur. Ulm. *Stat. Part. 2. tit. 6. §. 1.* Hahn. *ad Wes. de tut. n. 5.* Carpz. 5. Resp. 82. quod si incontinentiâ vitæ exuat luctum, æquè ac si ad secunda vota transisset, perdit tutelam, l. *fin. C. quando mul. off. tut.* Gail. 2. Obs. 98. n. 16. Alia viduis, & sic quoque lugentibus competentia privilegia hîc enumerare, tutò supersedemus, colligi ea possunt extract. Henr. Neuenhan. *de privil. viduarum.*

que per-  
missiva nō  
imperati-  
va.

Quibus præ-  
feratur  
mulier.

Qu.

## CAPUT OCTAVUM.

Luctus quomodo & quando minui solet.  
 item quando cessat.

N

Th. I.



Th. I. Sæpiùs luctum alium publ. alium privatum; utrumque, vel necessarium vel spontaneum, seu arbitrarium asseruimus. Luctum quoque vel quoad internam ægritudinem, mœrorem & dolorem, vel quoad externum habitum aliaque signa mœrorem demonstrantia considerari, non unâ vice notatum. Cum autem propositum nobis sit, de minutione, & luctûs sublacione seu cessatione agere, præmonendum, non hîc nobis principaliter sermonem esse, de luctu & mœrore interno, quippe qui ceu affectus animi pro lubitu uti non assumitur, sic nec ex arbitrio nostro deponitur; sed potissimùm de luctu externo per signa declarato. Quid autem sit minuere, item luctum tollere, optime explicat Jac. Guth. *de Jur. Man. l. 3. c. 30. p. 588.* Minuitur, inquit, *luctus dum aliquid de luctu detrahitur, i. e. cum lugubria diebus solemnibus deponuntur*; unde tollere, erit planè abjicere, vel inhibere; ut sic juxta Guth. tollere plenariam depositionem seu abjectionem: minuere temporalem intermissionem, seu luctûs inducias denotet. An autem in minutione luctûs resumta fuerint lugubria, ceu vult Guth. *d. l.* an verò tempus lugendi coarctatum, & post minutionem planè defuerit, jam in medio relinquimus.

*Minuere, tollere luctum quid?*

*Luctus publicus minutus.*

Th. II. Luctus autem publ. ex quibus causis minutus fuerit, ex Festo recenset Guth. *d. l. p. 586.* Minuitur, inquit, *populi luctus, ædis dedicatione; cum à censoribus lustrum condebatur; cum votum publicè susceptum solvebatur. Privatis autem cum liberi nascerentur, cum honos in familiam iret; cum pater, aut liberi, aut vir, aut frater, ab hoste captus domum rediret; cum puella desponsaretur; cum propiore quis cognatione, quam is qui lugetur, natus esset, cum in Casto Cereris omniq; gratulatione*; hæc eadem ex Festo recenset Kirchm. *de F. R. l. 4. c. 12. p. 490. seq.* item Rævard. *Varior. l. 1. c. fm. p. 533. & seqq.* Ex hinc duo nobis videntur notanda: Primò, quod luctus publ. publicè cessarit ex tribus causis hîc recensitis. quoad ædis Dedicationem & in eâ usitatas epulas, quibus interesse lugentes non poterant. vid. Paul. *l. 1. Sent. tit. ult. Liv. l. 2. c. 8. Dio. l. 42. item l. 59.* Quoad Lustrum condendum, notandum censoribus, ne ominis infausti quid committeretur, vel quod luctum portenderet, unde tristitiæ signa omnia intermissa. Quoad Votorum solutionem vid. eleg. exemplum apud Ælium Spart.

*I. Ob ædis dedicationem.*

*II. Ob lustrum condendum.*



Spart. in Adriano & Al. Vero circa fin. Tres hæ causæ minuti pu-  
 blici luctûs omnes ex uno eodemque manabant fonte, quod ni-  
 mirum nihil magis religionum adversari credebatur ceremoniis,  
 quàm luctus. Kirchm. d. l. & l. 2. c. 21. imò apud Rom. nullum  
 festum atratum seu lugubre fuisse, ex Dionys. Halicarnass. l. 2. di-  
 cit Gregor. Tholos. S. J. U. l. 2. c. 16. n. 13. Quartam causam minu-  
 endi luctûs reperire se dicit Kirchm. d. c. 12. p. 419. ob Ludos scil.  
 publicos. Exemplum est apud Tacit. l. 3. Ann. c. 6. ubi de funere  
 Germanici; item apud Capitol. in M. Ant. Philos. qui cum filius  
 ipsi esset mortuus, ludos Jovis O. M. interpellari publ. luctu no-  
 luit. Et hoc quidem sub Principibus verum. olim enim ob ludo-  
 rum celebrationem minutum luctum haud fuisse, nisi publicæ  
 gratulationis causâ novi ludi exhiberentur, tradit Guth. de J. M.  
 l. 3. c. fin. p. 589. Idem d. l. præter illas quintam tradit: Gratula-  
 tionem seu Gratiarum actionem, quâ Diis grates agebant Roma-  
 ni ob publ. lætitiâ, vel bellum prosperè gestum, vid. Guth. de  
 Vet. Jur. Pontif. c. 16. ob publicam lætitiâ Cæsar Imperator luctus  
 cohibuit, Dio. l. 58. Ob similes casus hodiè obvenientes, quin lu-  
 ctûs minutio locum habere queat, nulli dubitamus, maximè cum  
 quod juberi à superiore, contrario mandato minui, ei derogari,  
 imò & tolli queat. Bodin. de Rep. l. 1. c. 10. p. 242.

Th. III. Deinde notamus ex Festi verbis supra relatis (quid  
 ibi Castum Cereris denotet, vid. apud Rævard. Varior. l. 1. c. fin.  
 p. 534. Kirchm. d. tr. l. 4. c. 12.) luctum domesticum minutum esse  
 privatis, ex variis causis: quæ singulæ ex singulari lætitiâ in Gen-  
 te seu familiâ ortâ proveniunt. Unde si quid prosperi vel ex  
 optati Reip. per unum ex familiâ, Guth. d. l. p. 589. aut ubi læti-  
 tudine contigisset, exemplum ap. Tac. 2. Ann. c. 75. n. 3. luctus mi-  
 nuebatur. Non quidem prohibiti videntur, quo minùs luctum  
 continuare potuerint, non tamen continuatus, extra pœnam, quæ  
 olim, ceu supra notatum, erat. An autem lugubrem habitum de-  
 ponere statim integrum fuerit, an decretum superioris expecta-  
 re oportuerit, quæritur? ubi ex libero arbitrio, & ut partem ali-  
 quam luctûs in nos transtulisse videamur, luctum testamur, ibi  
 decretum haud putamus necessarium; ubi autem ex necessitate  
 legis luctum suscepimus, decreto opus fuisse videtur. Indicium  
 hujus

III. votorū  
 solationem  
 Ratio.

IV. Ludos  
 publicos.

V. Gratula-  
 tionem s.  
 gratiorum  
 actionem.

Domesticus  
 luctus mi-  
 nutus ex  
 variis cau-  
 sis.

maximè  
 ex singula-  
 ri lætitiâ  
 in familiâ  
 ortâ.

Qu. an ad  
 deponendū  
 habitum  
 lugubrem  
 decreto su-  
 perioris  
 opus?

Distingu.



hujus in l. 15. C. ex quib. caus. infam. ibi: Decreto amplissimi Ordinis. Loqui videtur lex restrictivè de mulieribus; cum autem tempore hujus legis non minùs aliis personis, quàm mulieribus lege inunctus erat luctus, idq sub pœnâ infamiæ, supra th. ii. c. 6. non minùs & hîc ad coarctanda elugendi tempora decreto opus fuisse, probabile videtur. Hodie cum tempus quidem elugendi animi patientiæ & pietati relictum, ipso luctu adhuc obtinente, uti pœnam arbitrariam imponi posse non lugenti supra diximus, sic hujus pœnæ si expers esse velit, à superiori hoc impetret, necessum erit. Quoad viduam autem notandum, licet tristior habitus, decreto fuerit remissus, non tamen statim omnem luctûs effectum remissum censi, sed nihilominus ob periculum incertitudinis prolis, legitimum spatium elugendo determinatum observandum esse l. 15. C. ex quib. caus. infam. & ubi incertum, utrum gerere mulierem, antequàm illum depofuerit, nullam dispensatione locum habere, Brunn. ad l. 1. C. de Sec. Nupt. ab alio enim imprægnatam ducere, turpe & in Christianâ Ecclesiâ intolerabile habitum. Beza de Repud. p. 85. Nec Ethnicis probatum. v. Sueton. factum Augusti hinc quasi turpe notans in Octav. c. 62. in fin. Non obst. l. 10. ff. de his qui not. quam explicandam putamus de casu, ubi vel partum ediderit, vel certum sit prægnantem non esse: unde Cujus Imp. publicæ lætitiæ causâ luctus cohibens, viduis permisit nubere intra legitimum tempus, nisi prægnantes essent. Dio. l. 58. Cujac. 6. Obs. 32. Ne quis autem putet, per partum statim minui luctum, reverentia memoriæ mariti debita legitimum adhuc spatium requirit. arg. l. ii. §. 2. ff. de his qui not. Cujac. d. l. licet etiam maritus talis, quem lugeri mos majorum vetat, partûs tamen tempus expectandum erit, ad quem casum restringimus l. ii. §. 2. ff. d. t. adeoque luctus mulieris tantum non prægnantis plenè minui potest beneficio Principis, quod eleg. confirmat Carpzov. Jprud. Conf. l. 2. Def. 162. & seq.

Cessat luctus publicus vel in genere, ob prohibitionem superioris.

Th. IV. Hæc de luctûs minutione, seu coarctatione. Sæpius is planè cessat. Ubi quoad luctum publicum notandum hunc cessare vel in genere, ob prohibitionem superioris; ceu exemplo Hadriani & Æl. Veri designati successoris in imperio ex Æl. Spart. constat; ibi: acceptâ portione periit, jussusq, ab Adriano, quia vota interveniebant, non lugeri. Sic & luctus olim militum Hierosolymitano-



norum ob commilitem interemtum prohibitus legitur apud Gre-  
 gor. Tholos. *S. J. U. l. 2. c. 14. n. 11.* Vel in specie; ratione certarum  
 personarum, quibus lege vel more sic jubente in luctu esse, seu  
 omnes luctus ritus adhibere, aut ob quemvis, luctum suscipere  
 non licuit. Sic apud Ebræos moris fuit, Regem quidem singula  
 lugentium officia præstare, at non egredi extra palatii sui fores  
 post mortui sui funus, multò minus post mortuos alios. Nec ob-  
 stat exemplum Davidis, qui *2. Sam. 3. v. 31.* post funus Abneri  
 prodisse legitur: creditur enim id factum ut significaret populo,  
 Abnerum se invito interfectum v. D. Geier. *d. tr. c. 4. §. 2.* Refe-  
 rimus huc morem, si non Rom. communem, certè Imperatori Ti-  
 berio & Augustæ in morte Germanici, ob quem publicus luctus,  
 usitatum, Tac. *3. Ann. 3.* ibi: *Tiberius atque Augusta publico absti-*  
*nuere, inferius suâ majestate rati, si palàm lamentarentur.* v. Lips.  
*d. l. n. 17* Forstner. *ibid. in not.* Freinsh. *Comment. in Curt. l. 10. c. 4. n.*  
*11. verb. reg. maj.* Sacerdotes quoque Ebræorum à nonnullis riti-  
 bus lugentium exempti erant. *Lev. 21. v. 10. & seqq. Lev. 10. v. 6.* Ra-  
 tiones tradit D. Geier. *d. l. p. 43.* Et Nazaræi certo modo exempti  
 erant, *Num. 6. v. 6. & seqq.* Pontifici M. apud eosdem in animi do-  
 lore vestimenti laceratione interdictum legitur. modus autem u-  
 trum idem Pontifici & reliquis sacerdotibus; & porrò illi, an so-  
 lum supra ad sinum pectoris, an verò circum pedes, v. apud Petr.  
 Cunæ. *de Rep. Ebr. l. 2. c. 3. p. 133. & seqq.* Familiis quoque illis Ebræ-  
 orum, quibus lignationum ad templum necessariorum vices in or-  
 bem redierant, eo tempore in luctu & squalore esse, aut jejunio se  
 macerare non licebat. Pet. Cunæ *de Rep. Ebr. l. 2. c. 13. p. 175. & seqq.*  
 Cardinales seu Purpurati Pont. R. certis temporibus & festis lu-  
 ctum vestitu demonstrare prohibentur Spreng. *J. P. l. 2. c. 35. p. 310.*  
 Th. V. Ob scelera Regentes se indignos facere luctu, osten-  
 dit funestum exemplum Jerobeami *1. Reg. 14. v. 10. & seqq.* Ahab. *1. Reg.*  
*21. v. 21. & seqq.* Jesebel *2. Reg. 9. v. 33.* item effatum Jeremiæ, Jojakim  
 filio Josiæ Regi Judæ, nequitæ pœnam prædicentis: *non plangent*  
*illum, ve frater, ve soror: non lugebunt eum, ve domine, ve inclyte;*  
*Sepultura asini sepelietur &c. c. 22. v. 18.* hanc luctus carentiam ob  
 tyrannidem metuens Herodes, nobiliores ex totâ Judæâ viros  
 congregari, & simulac animam efflâsset, trucidari mandavit, ut sic  
 per alios lugeretur, & ut Judæa tota, invita licet, omnisque do-

*vel in spe-*  
*cie ob legē*  
*vel morem*  
*&c.*

*Sacerdoti-*  
*bus Ebr.*  
*pro lubita*  
*lugere non*  
*licebat.*  
*nec Naza-*  
*ræis.*  
*nec Ponti-*  
*fici M.*  
*nec ligna-*  
*tioni ad*  
*templum*  
*Hierosol.*  
*destinatis.*  
*nec Cardi-*  
*nalibus.*  
*Scelere in-*  
*dignos se*  
*reddunt*  
*Rectores;*



Ob privi-  
legium ces-  
sat luctus  
publ.

Privatus  
luctus ne-  
cessarius  
cessat legis  
dispositio-  
ne.

I. ob infan-  
tem trien-  
nio mino-  
rem.  
II. hostem.

Solent, in  
LII. §. 3. de  
his qui not  
necessitatis

mus ipsi ilacrymaret. Joseph. de Bello Jud. l. 1. c. ult. Huc referimus Tiberium Imperator. ob cuius mortem loco luctus summa populi luctitia, Suet. in eius vita. c. 75. Ex Privilegio à luctu publico quidam exempti. Argentorati enim, mortuo Imperatore tubicines & musici, die Spielleute und Braten-Geiger nunquam quiescant, contra consuetum & in aliis Imperii Civitatibus receptum morem, ex Topographiâ Alsatiæ Spreng. J. P. l. 3. c. 32. p. 491.

Th. VI. Privatus luctus spontè vel ex legis dispositione susceptus, itidem certis modis cessat. Ille quidem ex cuiusvis arbitrio: hic lege vel jubente vel permittente. Cessationem injunxit Lex Numæ Pompilii, qui lugendi momenta pro ætatibus statuit, Puerum sc. triennio inferiorem lugeri noluit, Plut. in Numâ. Ebræi abortivum & triginta diebus minorem infantem non luxere v. D. Geier. d. tr. c. 3. §. 6. Solon in alieno funere signa luctus, lamentationes, fletus, lacerationes se cædentium penitus prohibuit, Plut. in Solone. Ad prohibitionem refer exemplum, apud Hefek. c. 24. v. 16. & seqq. ob scelus sc. Lex Rom. prohibet lugeri Hostem, l. 11. §. 3. de his qui not. ubi pro: hostes; legendum putat Cuj. 5. Obs. 34. Id. ad Nov. 22. p. 574. transfugas. ratio: quoniam non opus esset dicere hostes non lugeri solere, cum hostibus enim nobis nec mores, nec jura communia. Quis transfuga dicatur. Id. 4. Obs. 9. & 4. Obs. 26. Inter perduellem autem & transfugam parum videtur differentiæ, uterque enim eversionem patriæ procurare allaborat, l. 38. §. 1. ff. de Pœnis. imò pro hoste patriæ haberi solet l. 8. §. 2. ff. eod. ubi itidem hostes iidem qui transfugæ. Cuj. l. 4. Obs. 9. & l. 15. Obs. 34. Ne quis autem putet, liberi arbitrii esse, lugere vel non lugere, ob verb: solent; quod non videtur necessitatis, sed voluntatis, utrumque contrariorum recipiens sine vitio; putamus h. l. necessitatem importare, ut idem sit ac si dixisset Jctus: non debent lugeri; sic enim voluit mos majorum: mos idem quod consuetudo arg. §. 9. Inst. de J. N. G. & C. l. 32. pr. de LL. quæ idem quod Jus seu lex d. l. §. 1. & §. 3. J. d. t. hæc autem faciendorum & omittendorum regula, necessitatem infert parendi. Firmatur hoc ex l. 35. ff. de Relig. & sumt. fun. ubi; minime, inquit Jctus, putaverunt majores lugendum perduellem; quæ sanè non de libertate accipi debent, sed de necessitate. Nec Jctus infrequens: solere; pro: oportere; usurpare. Sic quod in l. 31. ff. de Jurej. solent dicitur; per oportet explicari debet ex



*l. 3. C. de R.C. Setzer. de Juram. l. 4. c. 10. n. 7. p. 472. Vin. I. Sel. quest. 43.*  
 Sic & accipitur solet pro debet in *l. 86. § l. 94. ff. de R. J.*

Th. VII. Deinde lugeri prohibentur Perduelles *in d. l. II. §. 3. III. Per-*  
*de his qui not.* qui directò & hostili prorsus animo ad everisionem sta- *duellem.*  
 tûs, vel illius securitatis quid moliantur, nec tam ex odio Principis,  
 quam ipsius Principatûs *l. fin. ad L. Jul. Maj.* ut jam ex subditis facti  
 sint hostes; Perduelles enim olim, qui postea hostes: uti duellum pro  
 bello, & perduelles, cum quibus ceu hostibus bellum geritur, *l. 234.*  
*ff. de V. S.* in hos quilibet, pater filio, & filius patri hostis, imò carni-  
 fex sine probro aut scelere; qui tantùm abest ut luctu digni sint, ut po-  
 tius memoria illorum post mortem damnetur, *l. 5. l. ult. C. ad L. Jul.*  
*Majest.* Dicit autem Jctus *in l. II. §. 3. d. t. damnati;* convictos siqui-  
 dem oportet esse accusatos Majestatis, *d. l. ult. C. ibi: ut convicto. jung.*  
*Ord. Camer. P. 2. t. 9. §.* Sed iemand's: *ibi: declarivret und erkläret. Gail.*  
*de P. P. l. 1. c. 19. n. 3. § l. 2. c. 3. n. 1. Carpz. Pr. Cr. Quest. 41. n. 101. § seqq.* *Mitiores*  
 tiores fuerunt lege Civili, Ebrai, qui ob perduellionem capite puni- *hic Ebrai.*  
 tos lugeri permiserunt, D. Geier *d. tr. c. 7. p. 31. seq.* non obst. exemplum  
 Jasonis *2. Maccab. 5. v. 10. qui sine sepulcro & luctu obiisse;* dicitur; con-  
 siderandus enim hic ut Apostata & hostis Reip. ceu *ex v. 8. d. c. patet.*

Th. VIII. Seqvuntur porrò in textu *d. l. II. §. 3. Suspendiosi, i. e.* *IV. Suspendiosum.*  
*suspensi seu crucificati,* aliàs: cruciarii Petron. *in Satyr.* Non tamen  
 hic intelligendi, per convitium aut minas ita nominati, ut ap. Apulej.  
*l. 10. ibi: nec tantillum cruciarius ille deterritus,* & Ammian. *l. 29. ibi:*  
*longum est, quæ cruciarius ille conflagavit.* Lips. *de Cruce l. 1. c. 3. convictû*  
 & condemnatum æqvè ac in crimine perduellionis hic requirimus.  
 Ad hanc classem referimus, qui in *l. 28. §. 25. ff. de pœn. recensentur.*

Th. IX. Subjiciuntur ulterius in sæpè *d. l. Qvi mortem sibi* *V. Autò-*  
 consciverunt, seu *αὐτοχέρες.* Omnes, inquis, indistinctè? Non. lex *χέρες, qui*  
 enim expressè distinguit inter hos *qui tædio vitæ:* & *qui malâ conscien-* *non tædio*  
*tiâ sibi manus violentas intulerunt:* illos extra pœnam privationis lu- *vite:*  
 ctûs vult; imò licitum, & sine pœnâ tale factum pronunciare vide-  
 tur. Stoicam hic agnoscas mentem. Ulpianus quoque tædium vitæ  
 manu violentâ propriâ finire permittens, Stoicorû castra non obscure  
 sequitur, jung. Idem *in l. 6. §. 7. de inj. rupt. irrit. l. 9. §. 7. de pecul. uti &*  
 Marcian. Jctus *in l. 2. §. 6. ff. de bon. eor. qui ante sent. v. Ungep. Dissert.*  
*de Error. Justin. th. 25. Cujac. l. 26. Obs. 40. Idem l. 24. Qu. Pap. ad l. 23. de*  
*T. M. p. m. 383. D. Gœhauf. Per. Acad. P. 1. per. 3. qu. 23. Finckelth. Obs.*



Christiana  
nis impro-  
bata.  
sed consci-  
entiâ sce-  
leris ma-  
nus violen-  
tas sibi in-  
tulit.

Quid ap.  
Ebr. juris.

VI. quorū  
memoria  
post mortē  
damnata.

43. n. 2. & seqq. Non obft. l. 13. pr. ff. ad L. Aquil. l. 38. §. fin. ff. de pœn. l. 6. §. 7. de Re mil. v. Ungep. d. l. th. 27. Menoch. A. J. Q. cas. 284. n. 24. Audi Senecam Epist. 17. si necessitates ultima inciderint, exsiliet è vitâ & molestus sibi esse desinet; jung. ejusdem epist. 70. v. in priinis Lips. manud. ad Philos. Stoic. l. 3. diff. 22. ubi plenè de hisce Stoicorum scitis. At Christiani quintum Decalogi præceptum rectius edocti, hæc Stoicorum dogmata meritò damnamus. Agnoverunt hoc Ethnici aliqui; ceu de Pythagora ait Cic. de Senect. non licere injussu Imperatoris, i. e. Dei de præsidio & statione vitæ discedere, vid. prolixè Lips. d. tr. diff. 23. Ex conscientia autem sceleris si qui mortem sibi consciverint, lugeri non debent, & ut Cujac. ex Varron. dicit: suspendiosus justa fieri jus non esse. v. Cujac. l. 14. Qu. Pap. ad d. l. 34. Hodie, eadem sive conscientia criminis, sive tædio vitæ sibi quis manus intulerit, prohibitio: adeoque, nâ singulares circumstantiæ, ob melancholiam fortè similemque morbum, aliud suadeant, utrumq; luctu indignum judicamus. v. Finckelth. d. l. n. 8. & seqq. Hinc & ad detestandum facinus, cadaveris per carnificem subter domûs limina extractio, vel ex fenestrâ dejectio, & sepultura inhonesta, Finckelth. d. l. n. 15. Heig. 2. Qu. 36. n. 64. Coler. Decis. 107. & 267. Carpz. Pr. Cr. Qu. 31. & seq. Apud Ebræos instar luctûs videtur, benedictio seu precatio lugentium quam super autochiro dicere solent, hæc enim ajunt, est gloriosa viventibus; aliàs nec lugent, nec plangunt talem, D. Geier. d. tr. c. 3. §. 9. p. 33. An autem qui ex luctu manus violentas sibi intulit, bonorum publicatione mulctandus? Neg. l. ult. §. 5. ff. de bon. eor. Cujac. Qu. Pap. d. l. Finckelth. d. Obs. 43. n. 17. Secus si ex conscientia criminis, maximè, ubi tale crimen, quod bonorum publicatione post se trahit, D. Struv. S. J. C. Ex. 32. th. 8.

Th. X. Hisce autem quibus ex d. l. II. §. 3. de his qui not. luctus negatur addendi sunt omnes, quorum memoria post mortem damnata est; quod ob insigne aliquod facinus fieri solet, vid. Freher. de Infam. l. 3. c. 17. n. 6. Nam indistinctè capite damnatos non esse luctu propinquorum privatos colligimus ex Suet. Tiber. c. 61. ubi: Tiberius omnia indistinctè crimina capitalia reputans prohibuisse legitur: ne capite damnatos propinqui lugerent. Utut autem sic aliqui more majorum lugendi non sint, ob maritos tamen viduæ à secundis nuptiis, quamdiu prægnantes sint, nec ne, certò constare nequit, abstinere, non quasi lugeant, sed ut turbationi familiarum obvietur, quod si certum sit eas non esse prægnantes, vel partum ediderint, ad iterata vota rectè accedunt. Freh. d. l. Neuenhan. de Privileg. Viduar. Sect. 24. p. 410. Hæc fuere B. L. quæ de luctu in medium afferre animus fuit. Hic itaque lugubria ponimus hilari fronte, & Deo Trinuno gratâ mente: Omnia quæ hic dici potuissent, dicta esse ne putes. Futuræ industriz, quæ curatius addi poterant, reservamus. Tu vale, & benè de nobis, & nostris studiis judica.

Mantissa



*Mantissa loco disquirenda.*

I. *Contra tertium possessorem pignoris non potest actio hypothecaria moveri ante excussum debitorem principalem: sive fuerit generalis, sive specialis hypotheca.*

II. *Viduae sub conditione legatum capiendi viduitas injungi potest*

III. *Alimenta liberis adulterinis Jure Can. non indistincte debentur.*

IV. *Civem civitatis, & Nobilem esse sibi non repugnant*

V. *Electoibus Secularibus nec ipsa Electora tuum jura, nec officia imperii, quae sustinent, ab Episcopo Bambergenesi per investituram conferuntur.*

VI. *Feudum ob culpam commissam domino apertum apud ipsum manet revocabiliter, ad vitam sc. vasalli delinquentis, quo defuncto ad agnatos proximiores redit.*

---

**RITTER, Ketter.**

**RITTER** ab impactis servans erroribus s amplam  
Doctrinam Juris, plausibus eniteat. i auctam

*Ita suo in Colleg. Jur. Publ. Auditori perindustrio,  
Nob. & Perex. Dn. Rittero vovet*

**Nicolaus Christophorus Lyncker, J. D.**  
Conf. Sax. Aul. & Facult. Jur. Sen.

---

**Fortiter** in cathedrâ, *Logogrypho* iudice, pugnas,  
*Salades* applaudunt, commendantque labores  
Hos doctos. Sic, *me Sponsore*, brabéa suprema  
Accipies meritis, quæis *letus* fulgere possis,  
Inque Foro bifidas *caute* componere lites.

*Ita*

*Præ-Eximio Dno Authori animiùs preecor,  
amicâ m. & m. gratulab. scrib.*

**Johann-Volck, Bedhman/Jetus.**

*Nobilissi*



Nobilissimo & Praeeximio  
Dn. JOHANNI VVOLFGANG. RITTER  
Jurium Cultori assiduo, amico & haectenus auditori  
suo carissimo  
S. D.

JOHANN. JACOBS. J. D.  
Cur. Prov. Sax. Adv. Ord.

Quam inoffenso, in emetiendo spatio, ab Imp. Justiniano Juri operam suam & studium consecrantibus, praefinito, perrexeris pede, cum aliunde, tum ex hac Tua de LUCTU dissertatione, quam orbi ostendis erudito, patescit. Nosti optimè, quam fecundus sit error in principio commissus, ut fieri nequeat, quin ad extremum tandem tendat malum, cum magis magisque occaecata mens & confusum judicium, jam rectè monentis sit impatiens, & celeri cursu ad precipitium ruat, semel in errore obfirmatum. Tacitè praecoces illos notas, qui simul sapere ceperunt, jam sapiunt, & neglecto Ariadneo Imperatoris filo, questionum & disputationum labyrintho se incauti irretiunt, unde non sine multi negotii & temporis jacturâ vix ac ne vix quidem se exercant. Aliter TU Nobilissime Dne RITTER, Patria Tua decus eximium, qui transactò fideliter triennio Justiniano, legitimis instructus subsidiis, à plurimis praeposterè spretis, jam inter luctas nomen profiteris, & sagaci quo polles judicio, non minori acumine ad dissuendos, quàm alii ad constringendos, dubitationum nodos, promptum: imò ad refellendum & defendendum, ac alii ad invadendum & offendendum TE aequè strenuum esse monstras. Quod si porro, ceu haectenus, hunc quem auspiciatò cepisti, indefessus currere perrexeris cursum, invenieris olim satelles justitiae & judiciorum tam athleta quàm gubernator omni loco aequè felicissimus, & ne dubites, me sponsore, quem tenus hac in parte ductorem, fore, ut Reip. pars gubernanda & TIBI aliquando credatur. Perge itaque, cresce, vive in Familia Tua clarissima honorem, orbis litterarii decus & Patriae emolumentum. Vale.

Dab. Jenæ III. Non. Aug.  
M DC LXXX.



**C**hristiadum fertur fatum solenne piorum,  
Ut medio in luctu gaudia corde ferant,  
Sic & honorati celebras dum tempora luctus,  
exultant animis nunc tua clara Domus.  
Tuque serenato retegis nova gaudia vultu,  
quando Tibi docto profluit ore sonus.  
Sic decet in cathedrâ thesaurum pandere mentis,  
& Juvenum florem merce juvare probâ!  
Quam sermone gravi tantus Moderator inaurat,  
& justæ justum pondus inesse facit.  
Hinc & ego lætans facinus tam nobile grator,  
hæc jubeatque, precor, cœpta secunda DEus.

*Cl. & Nob. Dno, Respondenti, antea Auditori meo frequen-  
ti ac æstimatissimo, nunc Fautori & Amico honoratis-  
simo, Imq; scrib.*

**Valentinus Belthem / P.P. ordin.**

**A**rma Viros ornant fortes: Nec prælia justa  
- Vitant; neque timor vertere terga jubet.

Palladis at castris deditus, *certamina docta*

Nunc RITTERE scribis: VICTOR OVARE VELIS!

*Ita Nobilissimi Dni Respondentis, Conatus prænobiles, pio  
prosequatur voto,*

**M. David Lipach / Eccl.**  
Jen. Archidiaconus.

**S**edula de luctu meditatio sistitur orbi:

Gaudia quæ cumulat, lætitanqueciet.

Doctus de luctu, quo persona pulpita; sermo

Revera magnâ voce sonandus erit.

*Libenti animo adjecit*

**Christophorus Erhartus Schad.**

Ulm.



**M** I *Rittere* tuis præclaris gratulor ausis,  
Fac, quæ cœpisti, promoveas studia.  
Sic honor & laudis Te tandem præmia  
cingent,

Nomen ut in nostrâ splendeat *Urbe* tuum.

*Sincera Amicitia & gratulationis  
ergò hæc adscripsit*

Marcus Tobias Neubronner/Ulm.

**D** Extera quid methodus, studiorum & sedu-  
la cura,

Certantis Virtus, Ingeniumque docet:  
Te genus & mores ornant, Pietasque probata  
Insuper & multum Nobilitatis habes:  
Hisce tuis studiis celsi Moderator Olympi  
Sit semper præfens, & tua cœpta beet.

*Honoris & amoris ergò apposuit*

Georg. Philipp. Zech.

U. S.

Corrigenda

Pag. 21. lin. 19. pro defunctam leg. *defunctum* p. 23. l. 5. pro quem leg. *quos* p. 32. l. 5. pro Laliū leg. *Lelium*. p. 41. l. 27. pro bleus leg. *albus*. p. 42. l. 31. pro Regina leg. *Reginis* p. 54. l. 1. post masculino; add. *sexui*. p. 56. l. 17. post. Rationes. add. *ludūs &*; p. 59. l. 22. & 23. pro determinandum fuisse; leg. *determinari debuerit*, p. 63. lin. pen. pro omnis; leg. *omne* & pro XXXII. leg. XXVII. p. 66. l. 8. post. vid. add. *apud* p. 67. l. 26. pro queunt leg. *queant*. p. 68. l. 5. pro inferentrâ; leg. *inferentia*  
Præterea si quid emendandum, benevolo & candido Lectori relin-  
quimus.



00 A 6383

ULB Halle 3  
002 916 681




Handwritten initials: *SL*


V D 77











~~172.~~ ~~47.~~  
D. B. V.

IO ACADEMICA 7

DE  
CTU,

*Quam*  
CTORITATE  
ctorum Ordinis in  
nclutâ Salanâ

PRÆSIDE  
E Jacobs/ J. U. D.  
v. Sax. Advoc. Ordin.

*, & Præceptore suo jugiter  
honorando*

ventilandam exponet  
*h. lq. c.*  
usti Anno M. DC. LXXX.

OLFGANG Ritter/  
Ulmensis.

is MÜLLERIANIS.